This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

1,258,719

PA
8550
.N6
A13
v. 2

ISOTÆ NOGAROLÆ

VERONENSIS

OPERA QUÆ SUPERSUNT

OMNIA

ACCEDUNT

ANGELÆ ET ZENEVERÆ NOGAROLÆ

EPISTOLÆ ET CARMINA

Collegit

ALEXANDER COMES APPONYI

Edidit et præfatus est

EUGENIUS ABEL

VOL. II

VINDOBONÆ

APUD GEROLD ET SOCIOS

BUDAPESTINI APUD FRIDERICUM KILIAN

1886

Bates
Blackwell
7-18-28
17552

ISOTÆ NOGAROLÆ
CODEX EPISTOLARIS.

PARS II.

LI.

(a. 1442—1444.)

Constantia Varaneia Isotæ Nogarolæ S. P. D.

Cum elegantissimas epistolas tuas, Isota eruditissima, sæpenumero perlegissem, quæ Romanorum priscam illam redolent dignitatem, ubi quæ et sententiis et verbis exornationes conve- 5

«Constantiæ Varaneæ Sfortiæ Pisauri Principis Orationes et Epistolas ad fidem veteris codicis» primum edidit Dionysius Andreas *Sancassani* in libro qui inscribitur: «*Miscellanea di varie operette.* Al' Reverendiss. Padre il P. M. Calisto M. Palombella Consultore della Sacra Congregazione de' Riti e Procuratore Generale dell'Ordine de'Servi di Maria. *Tomo Settimo.* In Venezia MDCCXLIII. Appresso Tommaso Bettinelli . . .» (p. 324 sqq.), qui liber a Tiraboschio aliisque sub Lazzaronii nomine citatur, qui quinque tantum Miscellaneorum volumina typis impressit. Constantiæ epistola, quam supra edidimus, extat etiam in «Biblioteca Volante di Gio. Cinelli Calvoli continuata dal Dottor Dionigi Andrea Sancassani. Edizione seconda in

niunt, omnes tuam irradiant dictionem, animadverti stilo orationis commota, quanto tui amore afficiar, significare litteris meis, quamquam et id parum concinne tum pro
5 ingenii tenuitate, tum quia in eloquentia parum admodum versata sum. Quid dico versata, cum vix primum aditum ingressa sim? Tibique ipsa congratulor, quæ ad

miglior forma ridotta e di varie aggiunte ed osservazioni arricchita. Tomo Terzo dedicato al Signor Conte Ottolino Ottolini Veronese e Conte della Custoza ec. In Venezia MDCCXLVI. Presso Giambattista Albrizzi q. Girolamo» p. 398, e codice manu scripto paulo liberius interpolato Iacobi Soranzo edita. Denique Constantiæ epistolas e codice Bibliothecæ Riccardianæ (N. III. cod. chart. in 4. s. XV.) publici iuris fecit *Lamius* in «Catalogo codicum manuscriptorum qui in Bibliotheca Riccardiana Florentiæ adservantur. Liburni MDCCLVI.» p. 147, 148. Sancassanii et Cinellii editiones, quas *S* et *C* litteris notavimus, officiose descripsit Petrus Sgulmèro; Lamii editionem *(L)* ipse inspexi.

(3) Varana *C*, Varaneia *L*. Isottæ Nagarolæ *C*. (4) Quum *L*. (5) Isotta *C*. (7. 8) ubi æque sent. et *C*.

(1. 2) omnem tuam irradiant dictionem; .... stilo *(sic)* *S*, omnem tuam dictionem animadverti et stilo *L*, omnes tuam vidi irradiare dictionem. Animadverti stylo *C*. (2. 3) commota sum; quanto tibi am. *L*. (3. 4) meis non posse, quodque præstare concinè *C*, meis; quamquam hæc ipsa inconcinne *L*. (4. 5) propter ing. tenuitatem *L*. (5) quod in *C*. (6) sum, nequeo. Quid *C*. (8) gratulor *S*.

summos apices usque venisti magno cum tui nominis splendore et gloria. Nihil enim conducibilius ac magis frugiferum dominabus esse potest, quam posthabitis corporis commodis ad ea tendere summo conatu 5 quæ non possit labefactare fortuna. A teneris habuisti unguiculis illam Lactantii Firmiani sententiam, qui non ultimum inter theologos locum obtinet. Qui bona, inquit, negligunt animi et corporis appetunt, in te- 10 nebris ac morte versantur. Istud item ex Cicerone nostro notaveras in Officiis: Omnes enim trahimur et ducimur ad cognitionis et scientiæ cupiditatem, in qua excellere pulchrum putamus, labi autem, errare, de- 15 cipi et nescire malum et turpe ducimus. Quod perspicuum illum oratorem Quintilianum non fugit in sua Oratoria Institutione: Nam sicut aves ad volatum, equi ad cursum

(2) ac gloria *S.* (3) et magis *C.* (6) labefactari *C.* (7) hausisti *L.* (8. 9) qui—obtinet *om. S.* (9) tenet *L.* (10) adpetunt *L.* (10. 11) in tenebras ac mortem *C.* (11) illud *S.* idem *CL.* (11. 12) a Cic. *CL.* (12) notaveris *S.* (13) ac duc. *L, om. C, recte, puto.* (15) pulcrum *L.* et errare *C.* (18) de oratoris *C,* de oratoria *L,* oratoris *S.*

et ad sævitiam feræ gignuntur, ita nobis propria est quædam mentis agitatio atque solertia. Has omnes sententias in pectore collatas diligenter semper ipsa servasti.
5 Unde fit, ut non impar iudicanda sis superioribus illis dominabus doctissimis, quarum illa ætate non parva fuerat multitudo; quales fuere Aspasia, Cornelia Scipionis, Elphe et aliæ quas non est hic narrandi locus.
10 Tenes enim hæc longe me ipsa melius, quæ non parvo temporis curriculo in studiis viguisti. Quanti ego te faciam, non possum verbis exprimere; longe melius mente teneo nihilque esse tibi velim persuadeas, quod
15 ad cumulum dignitatis tuæ pertineat, quin illud pro viribus me sponte pollicear suscepturam. Vale.

(1) ad *omm. CL.* servitia *L.* feræ *omm. CL.* (1. 2) nobis est quædam ac propria mentis ag. *S.* (3) sollertia *L.* Has] Nam *C.* (3. 4) sent. diligenter in p. coll. semper *S.* (4) diligenter *om. C.* ipsa *om. C.* (5) Unde sit ut *CS.* (6) doct. domin. *C.* (7) ætate illa *L.* pauca *C.* (8) Nelpe *L,* *vocem corruptam om. S.* (9) numerandi *S.* (10) Hæc enim longe melius me ipsa tenes *C.* (11) parvum *CL.* curriculum *L.* (12) ergo *C.* (13) in verbis *L.* tenes *C.* (15) quin] quod *C,* quum *L.*

LII.

(a. 1442—1444.)

Constantia Varaneia ad dominam Isotam Nogarolam.

Est, Isota, meo tua dulcis epistola fixa
Pectore nec poterit quam longa abolere vetustas.
O Verona, tuis urbs fœcundissima pomis,
Plus trahet hæc laudis iam vate puella Catullo !
Floruit ille quidem præclarus alumnus in ævo, 5
Quo studiis homines vigili indulsere Camenæ,
Hac ætate viros superas celeberrima doctos.

Constantiæ Varaneiæ carmen, quod in septimo tomo Miscellaneorum a Bettinellio (Lazzaronio) a. MDCCXLIII. editorum publicam lucem vidit, e duobus codicibus novi; alter *(M)*, cuius notitiam Remigio Sabbadini debeo, Mediolani in Bibliotheca Brera asservatur (cod. AB XIV, 27), alter *(V)* ex quo carmen descripsit Petrus Sgulmero, Veronæ in Bibliotheca Civitatis extat numero 1393 signatus.

Carminis titulum ego addidi; Ad dominam Isotam Nogarolam *est titulus in V, M quem titulum præ se ferat non habeo compertum.* (1) ep. supra *M.* (2) longe *M.* (6) inclusere *MV, corr. Sabbadini.* (7) celeberima *V.*

Hinc tibi virtutum numero, quibus ipsa refulges,
Coniunctam me nempe scias, nec secula nostra
1 Iam tantum deiecta puto velut ante solebam.
Luminis est etiam prisci tibi flamma reposta
Mentis in arcano. Fœlices quippe parentes
Quam reor esse tuos, quibus addis nata decorem
Et pariter morum dulcis pariterque sophiæ!
15 Et si quam omnipotens concessit forte sororem,
O faustam! Poterit tua post vestigia recto
Sumere calle viam facilique venire volatu
Parnassi ad sacros latices et docta sororis
Munere blandiloquo componet carmina plectro,
20 Egregiam scribet prosam plaudentibus astris.

(10) sincera puto *M*, puto deiectam *V*. (11) etiam]
M. flama *V*. (12) archano *V*. felices *M*. (13) nate
Post v. 13 *in V v.* 11 *repetitus est, sed* vacat *add. m*
tor in margine. (14) morumque *M*. (15) sorte *V*. (16
I (?) *M*. retro *V*. (17) summere cale *V*. (18) parna
par nasci *M*. Τελος *est subscriptio in V*.

LIII.

(Patavii, a. 1445—48. 1451—52?)

Laurus Quirinus nobilissimæ et eloquentissimæ virgini Isotæ Nogarolæ salutem plurimam dicit.

PUDOR nescio quis pæne subrusticus, 5
Isota insignis feminarum nostri temporis maxima gloria, ad hanc usque diem me tenuit, ne tibi antea scriberem, quam tacito quidem, sed certe plurimo amore colebam. Verum in præsentiarum institui malle 10
veteri proverbio monitus semel ruere quam semper pendere, nam cum præclarus vir Iohannes Delphinus e Verona Patavium petisset et inter pleraque insignia urbis monu-

Extat in codice Arundeliano nr. 70 sæc. XV *(C)* et in codice Vindobonensi nr. 3330 sæc. XV *(V)*.

(4) Ysote C, Izote *V*. plur. *om*. *V*. (8) quem *V*. (9) certo *V*. (9. 10) collebam *CV*. (13) patavum *CV*.

menta tuas quoque epistolas mihi ostendisset
iam in volumen redactas easque voluptuosis-
sime perlegissem, non potui non maxime læ-
tari tibique non unice congratulari. Sed et
5 Leonardus germanus tuus, optimæ indolis
adolescens optimam operam optimæ philo-
sophiæ navans, iam pridem me rogarat, ut
nonnihil ad te scriberem, nam quoniam hoc
tempore dialeticæ et philosophiæ acrem,
10 ut is aiebat, operam das, voluit, ut ipse fidelis-
sime ac amicissime te commonerem, quos
præcipue magistros in his altioribus discipli-
nis sequi deberes. Hi ergo et plerique ami-
corum ut ad te scriberem adhortati sur
15 Clara autem atque laudatissima fama, qu
iam pridem bono iure adepta es, propellit
vel invitum, uti te colerem utique has a
litteras exararem. Quas ita velim acci
ut a benivolentissimo animo profectas
20 treris. Nihil enim aliud hæc nostræ

(3) non p. non m. non l. *CV.* (5) g
leon. *V.* (8) nam quia *V.* (10, 11) dare
am. comm. *V.* (11) comonerem *C.* (12) hii
(13) hii *CV.* (16) propelit *C.* (17) collerem
fecto *CV.*

exposcunt, nisi ut eum recte vivendi cursum quem a teneris annis es amplexa ad exitum usque perbellissime ducas. Verum si aridas incultasque videbis, ignoscito; eam enim hoc potissimum tempore philosophiam sequi- 5 mur, quæ nullum sequitur florem orationis. Patiantur igitur, quæso, tuæ delicatissimæ aures aridas quandocunque locutiones. Tu enim, quæ politissima et exquisitissima arte dicendi edocta es assueta in eleganti oratione 10 suavitateque dicendi, tuo iure perornatissimum exposcere potes eloquium, at nos semioratores minutique philosophi parvo et illo ineleganti persæpe contenti sumus. Quare et tibi gaudeo et tuæ virtuti congratulor. An 15 forte lætandum non est, quod inter raras quidem, sed claras certe feminas nomineris, cum prisca tempora gloriari videamus in huiusmodi præclarissimarum feminarum eruditione? Etenim, ut dixerim, tam Græcæ quam 20 Romanæ feminæ a nobis hoc tempore taceantur, quæ præcipue sunt Sibilæ, Aspasia,

(1) ut nisi *V.* (2) quem atteneris *C.* complexa *V.* (3) perbelissime *C.* (4. 5) nam eam hoc *V.* (9) pollitissima et exequitissima *V.* (10) asueta *V.* inelleg. *C.*

Periclis illius magni præceptrix, Sapho,
Proba Centona, Amesia, Hortensia, Cornelia
Grachorum mater, quæ solum in poetica re
et arte dicendi doctæ fuerunt quarumque
5 laudes pervulgatæ feruntur. Unam dumtaxat
in medium afferre satis erit. Sinesius ergo
eximius philosophus Hepatram philosophiæ
præceptricem habuit, quam tanta laude
tantisque præconiis effert, ut cunctos illius
10 temporis philosophos excoluisse magnopere
affirmet. Iure igitur es tu quoque, Isota præ-
clara, summis laudibus prosequenda, quippe
quæ naturam, ut sic dixerim, tuam superasti
Virtutem enim veram, quæ virorum propr
15 est, singulari industria es consecuta, nec ea
quidem mediocrem, ut plerique virorum, s
ut integerrimæ perfectæque sapientiæ vi
decet, quare Cicero recte dicebat: Vos ii
nes animum geritis muliebrem illaque v
20 viri. Itaque haut contenta his mediocribu

(1) megni *CV.* (6) offerre *V.* (8) preceptitric
(10) philos. *om. V.* (12) persequ. *C.* (15) singuli
om. V. (17) integerime *C.* perfecte *V.* veru
ante corr. (18) diceret *CV.* (19. 20) viri vir
itaque haudque *V.*

diis applicasti nobile tuum ingenium altioribus quoque disciplinis, in quibus acumen ingenii et mentis est opus. Versaris enim in dialetica arte, quæ semitam veritatis ostendit cognoscendæ, ut ea adepta in lautiori 5 atque uberiori philosophiæ campo scite et erudite versari possis. Itaque tamquam provocatus magister amicæ quidem atque fidelissimæ humanitatis intuitu te venerandam virginem edocebo. 10

Volo igitur, mea Isota, quam commutata persona germanæ loco ob ingenii tui elegantiam quo mirifice delector et hanc litterarum nostrarum necessitudinem duco, — cupio, inquam, idque meo iure iubeo, ut 15 novos hos philosophos novosque dialeticos tamquam homines minime veræ philosophiæ veræque dialeticæ instructos non modo evites et fugias, verum etiam omnia eorum scripta stomacheris, nam dialeticæ 20 quidem non viam disciplinæ veteris iam pro-

(1) ingenium tuum *V*. (2) discipulis *CV*. acuimen C. (4) dyaletica C. (8. 9) acque humanissimæ fidelitatis *V*. (12) germana C, germano *V*. (13. 14) nostram litt. V, nostram *etiam* C. (16) dyal. C. (18) dyaleticos C, dialeticos *V*. (18—20) instr.—nam dial. *om*. *V*. (20) dyaleticæ C.

batæ docent, sed nescio quibus pueril
captionibus, inextricabilibus circuitibu
scrupulosis ambagibus huiusce disciplinæ
ram et dilucidam semitam obfuscarunt. I
5 ut multa scire videantur, omnia etiam
nissima futili quadam subtilitate corrum
et, ut inquit comicus, nodum in scirpo c
runt. Quapropter his impedimentis de
nequeunt ad veram et solidam aspirare
10 losophiam, in qua etiam dum acuti disp
tores videri cupiunt, veritatem nimium a
cando, ut vetus sententia dicit, amiser
Sicut enim crassa negligentia supinam ig
rantiam gignit, ita scrupulosa inquisitio
15 satis exploratam rationem invenire pote
in iure civili a Labeonis sententia scriptu
eleganter. Propterea et subtiles quidam
losophi acuteque disputantes existim
nam cum ens sit id, de quo veræ sc
20 considerent, hi vero sophistæ de no
pertinaciter et contentiose altercent
et Aristoteles eos non disputare, s

(3) scurpul. *V.* (4) dilucidatam *V.* offusc. *C*
niss. *CV.* (6) futuli *CV.* (7) syrpo *C,* sirpo *V.* (11.
(16) c. Alab. *C.* (17) elleg. *C.* (22) Aristotiles *CV.*

rire affirmat) ita fit, ut mens vix queat, quod si recte formata erit, nequicquam prorsus capere potest. Accessit præterea haut mediocris eorum inscitiæ causa, quod cum textus Aristotelis, qui veram et elegantem phi- 5 losophiam continent, partim negligunt ob imperitiam, partim avidi gloriæ et honoris cupidi, quamquam profundissimum et obscurissimum philosophorum haut intelligant, commentari tamen temere aggrediuntur, itaque dum divi- 10 num Aristotelem dividere subtilius conantur, lacerant potius, dum lucidare, obumbrant, dum explicare, implicant. His ergo explosis quos sequi debeas, breviter edocebo. Lege igitur studiose Boetii Severini, viri facile acutis- 15 simi abundeque doctissimi præclara monumenta, id est tractatus omnes, quos in arte dialetica erudite confecit, et eius commentarios, quos in Aristotelis Cathegoriis et

(2) foemata *V.* necqu. *C,* ne quicquam *V.* (3) propterca aut *V.* (4) iusticie *C.* (5) aristotilis *CV.* elleg. *C.* (8) quanque *V.* obscuratissimum *V.* (9) philosophorum *om. V.* haud *V.* comentari *C,* commentatum *V.* (10) tamen] cum *V.* agred. *C.* (11) Aristotilem *C.* subt. con. div. *V.* (15) Bortii *C.* (16) habundeque *C,* abundique *V.* (17) tactus *V.* (18) dyaletica *C.* (19) quos in eius Aristotilis kath. *V.*

Periermenias duplices edidit, primos ad litteræ intelligentiam, secundos ad altioris artis indaginem. In quibus cunctorum fere probatissimorum Græcorum commentatorum sententias
5 videre poteris. Quare miror valde nostri temporis mortales, quod tam doctum, tam excellentem, tam præstantem in bonarum artium disciplinis virum relinquunt et nescio quos — sed tacere præstat, ne vulgus philosophorum
10 contra me incitem, aculeatas litteras me exarare putans. Postea vero quod dialeticam, id est modum sciendi, perdidiceris, Moralia Aristotelis, quæ divinitus proscribit, abs te diligenter et accurate legantur, in quibus veræ
15 solidæque virtutis vim facile dignosces. Quod si in actione quoque vitæ eam præstantem doctrinam, ut debes, posueris, ad illud summum et extremum bonorum te eximie ducet. Verum postea quam et hanc philosophiæ partem c'
20 gnoveris, quæ circa humanas res versatur,

(1) periermonias C. dedit *V.* (4) commendatori (5) videri *V.* (7) actium C. (9) tacere prant *V.* vul' (10) occultatas *V.* (10. 11) cxarrare C. (11) quod] dyaleticam C. (12) mortalia C, morlia *V.* (13) Arist (14) acurate C. legantur] eleganterque legantur *V.* / tuta C.

neroso quodam animo et amplam illam atque vastam alteram partem aggredere, quæ cum triplex sit, ab his maxime disciplinis exordiri te oportet, quas Græco nomine mathematicas appellamus, quarum notitia adeo certa est, tametsi subtilissima, ut plerique philosophi et illi quidem pergraves censeant nil certi scire nos posse, nisi quod mathematici monstraverunt. Tum deinde eam assequi stude iugiter ac vigilanter, quam naturalem dicimus, in qua res sensibiles et continuo motu flexibiles edocemur. Postremo vero in metaphisica, quam divinam scientiam nostri Peripatetici appellant, versari te oportet, ut deum trinasque substantias dignoscere valeas. Hæc est recta semita et inclitus ordo sententiarum, quam veteres philosophi observantes ad eam tandem excellentiam eos pervenisse videmus, ut divinos appellare minime dubitemus. Itaque si litterarum Græcarum peritiam haberes, docerem, quos sequi deberes, qui ad fasti-

(2) partem *om. V.* agredere *CV.* (10) ac! et *V.* (11) quam *C.* mota *C,* motus *V.* (12) mataphisica *C,* methaphisica *V.* (18) venisse vid. eos *V.* (20) grec. litt. *V.* habens *C.*

gium rerum te ducerent. Sed quoniam hoc solo, sed certe grandi bono privaris, Latinos quidem novos hos philosophos, ut paulo ante commonuimus, flocci pende, quod fæcem 5 quandam philosophiæ degustant, et Arabes qui ferme ad Græcos accedunt diligenter et accurate sequere. Averrois quidem, barbarus et incultus homo, ceterum philosophus eximius et singularis rerum arbiter, abs te iugiter 10 et continuo legetur, quem tametsi in primis lectionibus forte intelligere desperabis, si tamen in eo acrem operam dabis, facilem invenies. Quod si festinanter properas philosophum intelligere, Thomam de Aquino sæpius 15 lege, ut quasi introductorium intelligendi Aristotelem et Averroim præstet. Verum ubi modulum commentatoris degustabis, ceteros omnes abicies. Quapropter non solum eius commentatoria eiusque tractatus sæpius le-

(1. 2) solo hoc *V*. (4) floci *V*. (7) acurate *C*. (9) arbitus *C*, orbatus *V*. (10) et cont. *om. V*. imprimis *C*. (11) fonte *C*. (12) facile *V*. (14) acquino *C*. (15. 16) Aristotilem *CV*. (16) Averom *C*, Averroem *V*. patret *C*. (17) modulam *CV*. commendatoris *C*. (18) omnes] ēēs *C*, ēē *V*. (19) commendataria *C*. legere sæpius *C*.

gere debes, sed et Avicennam in Naturalibus et Algazelis Summam. Hi ergo Arabes veram Peripateticorum disciplinam te interim erudire valebunt, donec nobis suppeterit otium vitaque faverit, ut Aristotelica opera in Romanum stilum vertentes commentaria conficere possimus et ea quæ Aristoteles subtiliter descripsit nos in faciliorem semitam redigere valeamus, augustissime dicta et implicitas obscuritates explicantes et illustrantes. Enimvero et illis ornatissimis studiis, quæ pulcherrime ab adolescentia comprehendisti, utere, maximeque historia, est enim historia vitæ quasi magistra, vetustissimorum prudentias nostras quodam modo faciens, ad imitationem præclarissimorum virorum accendens. Cur enim tantopere maiores nostri historiam comprehensi sunt, nisi quia nil aliud eam arbitrati sunt quam exemplum bonæ vitæque et sanctæ? Omnem enim vetustatis effigiem expressam nobis tradunt historici.

(2) summum *V.* (3) peripatethicorum *CV.* (7) aristotiles *V.* (9) angust. *C.* (12) pulcer. *V.* (14) quasi] que *C*, *om. V.* (16. 17) accedens *CV.* (18) historiarum *C.* nihil aliud *V.* (19. 20) boneque vite sancte V.

Ciceronem vero taceo, quod continuus cibus
esse debet, quem ego lassus persæpe sed sa-
tiàtus nunquam dimisi. Reliquum igitur esset,
ut te ad virtutis actionem et ad litterarum
5 optima studia hortarer. Sed quoniam ad utra-
que hæc inflammatam mirabili quadam cu-
piditate accepi, finem epistolæ faciam, si hoc
dixero solum. Doleo sane vehementer, mea
Isota bella, Apolline nata, ægre, Mercurio di-
10 vino nectare educata puellisque Pieriis sacro-
sanctis edocta, ægre inquam fero, quod tam
longi temporis usura caruimus. Quare stu-
dendum nobis est crebritate officiorum amis-
sam iocunditatem quoquo modo quimus recu-
15 perare. Itaque tibi spondeo fide Athica, quod
si iniurato non credis, per ventum et humum
tibi iuro me tuam dulcem memoriam inter
arcana pectoris servare. Hæc, Isota dia,
ampla virtute et honestate, liberius scripsi,
20 fretus conscientia, officio et ea quam erga te

(2) lapsus *CV*. (3) reliquia *C*. (6) inflamatam *C*
(9) apoline *C*, appoline *V*. n. edocta egre mihi merc.
ante corr. (10) puelisque *C*. Pieridis *CV*. (12. 13) stu-
diendum *CV*. (14) iocunditate *C*. (17) dulcem tuam
(18) archana *CV*. dya *V*.

mirificam benivolentiam gero, quam postquam grato æquoque animo te suscepisse intellexero, quoad voles conservabo. Amor enim relationem avet. Laurum ergo tum plurimis aliis causis amare debes, tum vel 5 præcipue quod semper virescit, ob id enim Apollini tuo deo sapientiæ consecrabat gentilitas. Sed latius alias, ut uterque nostrum competet, honestis facetiis iocabimur. Cura ut valeas et stude ut sapias, et ut generose 10 facis Ypolitum imitare, philosophiam vero in deliciis habe eique omnes tuos amores conglutina. Nihil enim philosophia formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius, ut Cicero noster dicebat, ego vero forsan rectius, 15 nihil philosophia in rebus humanis divinius. Hæc enim unica, sanctissima disciplina est, quæ veram sapientiam edocet et rectum vivendi modum instruit, ex quo fit, ut ignari huius non modo turpiter sed etiam perniciose 20 per vitam obirent. Proinde huic uni rei, toto,

(2) te *om.* *V.* (4) tum] tamen *V.* (5) tum] nisi *C.* (7) apolini *CV.* (11) Ipolitum *V.* (13) aglutina *C.* (14) pulcrius *V.* (15) diceret *CV.* (17) enim hec *V.* (19) ec quo *C.* (21) obierent *C.* uni *om.* *V.* tota *V.*

ut aiunt, pectore incumbe, volo enim te non semidoctam esse, sed cunctarum bonarum disciplinarum peritiam habere, id est et bene dicendi artem et recte disputandi disciplinam
5 et humanarum atque divinarum rerum scientiam noscere. Vale et me, ut cupio, ama. Patavii.

(1) vi *V*. aiunt *om.* *V*. (2) bonarum cunctarum *V*. (5) et bonam *V*. (7) Patavii. Finis *CV*.

LIV.

(Ante annum 1452.)

Pauli Maffei canonici Veronensis Epistola ad Isotam Nogarolam Veronensem, mulierem eruditissimam. 5

BREVES has suscipito impræsentiarum tabellas, quæ ex me pro tua benevolentia longissimas præstolaris; neque enim vel tui negligentia vel ulla tui oblivio me ab expectato scribendi offi- 10 cio retardavit. Id, obsecro, cave ne credas, verum id magis uti filia pietatis adscribito occupationum acervo quotidianarum, quibus potius necessario implicor quam libenter. Huc accedit, quoniam in dies opinabar libellum ad 15 te, quem tuo nomine edideram transcriptum emendatumque dimittere, existimans te, quan-

Hæc epistola typis expressa legitur in tomo tertio Amplissimæ Collectionis a Martenio et Durandio curatæ *(C)* (col. 899—902). (15) quod ?

tum coniector ex litteris tuis, illum iocundissime et, ut aiunt, ambabus manibus suscepturam. Inde factum est, filia, ne tanto tempore vel parvum commonitorium nostræ dilectionis
5 inspexeris neque potuerim dedicatum tuæ virginitati codicem de primis excerptum cedulis corruptumque transmittere. Hic quippe notariorum penuriam patimur et post lucubratiunculas crebras non habeo qui dic-
10 tata conscribant. Cum autem nactus fuero temporis opportunitatem atque scriptoris, accuratius operam dabo, ne patris inertiam queas quavis accusatione notare. Quare rogato immortalem et optimum deum no-
15 strum, ut qui cupio satis tuis honestissimis ac religiosissimis desideriis facere, id ipsum, ut velim, re ipsa perficiam. Interim vindica te totam deo et iocundum in tua virginitate domicilium præparare festina, firmissime
20 retinens post dei cultum (quem Græci theosebiam appellavere) celibatu perpetuo nihil esse præstantius. Omitto Græcos atque

(2) ambarum C. (3) tembore C. (7) coreptumque C. (9) crebas C. (11) arque C. (13) Quate C. (17) p[illegible]cam C. (19) firmissima C. (21) perbetuo C.

Latinos omniumque gentium præclaros auctores, qui virginitatis prædicavere ac summis laudibus extulere decorem. Habes Mariam et matrem et virginem huius vitæ præclarissimum speculum, quo nihil mirabilius, nihil gloriosius, nihil divinius ad intuendum. Imitentur coniuges Saram et Hester pulchram atque Helisabeth Iohannis matrem. Habeant viduæ Iudith Annamque sanctissimam, quæ miris præconiis in divinis litteris efferuntur. Tibi vero Mariæ virginitas ad exemplar totius sanctimoniæ proponatur, quæ deum traxit ad terras. Ipsa enim humilitas, ipse amor, ipsa modestia nusquam tuis discedat ab oculis. Prospicies porro in ea quod legis in Cantico Canticorum: Pulchra es amica mea et macula non est in te. Quid enim integrius, immaculatius dei matre Maria, quæ totius sanctitatis auctorem utero suo quasi cœlesti thalamo deo ipso cooperante portavit? Ea igitur virtutis forma versetur ante oculos tuos. Neque enim eges multarum virginum obiectis exemplis, ut in te exprimas perfecte

(2) fumis C. (18) imacul. C. (19) auctorum C. (23) perfectæ?

ac pulcherrime religionis imaginem, uti ferunt olim Eracleontem Zeusim apud Crotoniates re ipsa fecisse, quo posset ex pulchriorum virginum simul formis inspectis picturam
5 Helenæ quam formosissimam atque elegantissimam sua arte traducere. Tibi una virgo sufficiat, quam intueare dignissimam, in qua omnes spiritales pulchritudinis partes existunt, in qua postremo tanta perfectio, ut a
10 quavis rectissima ratione artificis nihil addi vel demi queat. Quare sit Maria tibi, o Isota, singularis forma vivendi, componendi mores, colendi deum, sectandi virtutes, ut quoniam ipsa est pulchrarum pulcherrima
15 sanctarumque sanctissima mulierum, immo et virorum omnium et angelorum, eiusce simulacrum in tua mente et corpore quantum possibile fuerit imitari, exprimere coneris. Eris inde profecto iuxta modulum tuum de
20 sanctissima sancta, de formosissima educta formosa, ut et sponsus tibi de Canticis dicat: Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es; oculi tui columbarum!

(1) pulcherime C, pulcherrimæ? (9) perfecto C. (14) pulcherima C. (20) santissima C.

Verum quoniam in aliud tempus de his disputare proposui, finem imponamus epistolæ. Interim te obsecro, immo præcipit deus noster, ut cursum magnificum instituti animi prosequare. Mihi plane polliceor de 5 te, filia, nisi te ipsam spreveris, eam te evasuram in posterum, quæ possis et debeas in omni sapientia et religione esse perfecta. Blancæ matri tuæ illustri et optimæ viduæ, item et illustri fratri tuo equestris ordinis viro 10 me etiam atque etiam commendato. Tu quoque pro me dominum orabis. Vale.

LV.

(Veronæ a. 1451.)

Isota Nogarola Ludovico Fuscareno S. P. D.

SOCRATIS illius, quem sapientissimum iudicavit antiquitas, celebre dictum, quod in ore omnium usque in hunc diem versari cernimus, id est Cognosce te ipsum, me a scribendo sæpissime deterruit,

Collati sunt: Codex Corsinianus *(C)*, Veronensis *(V)*, et codices Bibliothecæ S. Michælis prope Muranum *(M)*, de quibus vide infra.

Titulum ego addidi. In C est: *Epistola domine Ixote de nogarolis de Verona ad magnificum dominum Aloisium Fuscareno pricium Venetum et potestatem eo tunc Civit. Veron. dignissimum*; in V: *Generose ac doctissime domine Isotte Nogarole Veronensi ad insignem iuris utriusque doctorem dominum Lodovicum Fuscarenum Venetum pretorem Veronensem epistola, cuius sane ellegancia ab illo sumo sapientie viro talem in eam virginem eloquentiam et ingenium admirante subsequens de Aevæ et Adde peccato est orta contencio.* Apud Mittarellium, qui in Catalogo bibliothecæ S. Michaelis hanc epistolam

dum ingenii mei imbecillitatem ac dicendi imperitiam mecum ipsa animo volvi. Sexus quoque et præsens vitæ meæ institutum nunc ut taceam hortantur, et eo magis, cum iam hæc studia pæne deseruerim meque 5 alia vocent, quæ me reddunt instructiorem deo meo in futuro seculo præsentis vitæ reddendi rationem. Sed cum me a te tantopere amari laudarique cognoscam, summum ingratitudinis vitium duxi tacere, non igno- 10 rans sanctissimos et doctissimos viros hoc vitium magnopere detestari et illum maxime sacrarum litterarum fere principem Augustinum, quem scripsisse legimus: Ingratitudo est ventus urens et siccans omne bonum. 15 Et Cicero: Si priora illa memoria teneo, nihil tam proprium hominis existimo, quam non modo beneficio, sed et benivolentiæ

e tribus codicibus (648. 1130. 1201) edidit, *Epistola ad Ludovicum Fuscarenum Venetum Senatorem et Ic.* est titulus. (6) quod more *V.* (8) ad scribendum *M.* deteruit *V.*
(1) imbecilitatem *CV.* et *C.* (2) Secus *M.* (3) quoque *om. V.* (6) alio *CM.* industriorem *V.* (8) rationes *M.* set *V.* (14) que *V.* (15) et sicans *C*, exsiccans *M*, et scicans *V.* (17) nil *MV.* hominis] habere *M.* (18) non meo *M.* set *V.* et *om. M.* benivolencia V.

significatione alligari. Quas ob res has meas
licet femineas et incultas litteras ad te dare
constitui malens impudens et loquax quam
ingrata iudicari, non dubitans te eas hilari
5 vultu, læto corde, pro tua humanitate ac
in me benivolentia tamquam meæ in te
reverentiæ et gratitudinis testem susceptu-
rum, quem ea natura asserunt, quod non
simulatione et ficto sermone hominum beni-
10 volentiam et gloriam consequi velis. In te
nulla ambitio, nulla inanis ostentatio, sed
semper, ut inquit ille, æquabilitas in omni
vita, idem sermo, idem animus, idem vultus,
eadem frons, quod de Epaminonda legitur,
15 qui inter ceteras virtutes adeo veritatis dili-
gens fuit, ut ne ioco quidem mentiretur.
Beata profecto res publica nostra, si talem
semper nacta esset prætorem ac parentem!
Unde bene dixit Plato et Cicero meminit, bea-
20 tas fore res publicas, si sapientes eas regerent,

(3) mallens *MV*. imprudens *V*. (4) te has *V*. illari *CV*. (6) in me *om*. *C*. (7) testes *M*. (8) ea natura] ea nā *C*, et vestræ *M*, ea nam *V*. (10) ac gl. *C*. (11) inannis *C*. obst. *V*. set *V*. (12) inquid *V*, dicit *C*. æqualitas *M*. omnium *V*. (14) Epaminunda *C*. (18) nata *V*. et par. *V*. (19) et] ut? (20) si *om*. *C*.

aut si qui sapientiæ studio dediti essent. In te vero genus, sapientia, virtus, animi magnitudo, iustitia, mansuetudo, misericordia tantopere floret, ut alterum Lucullum cives nostri testentur ac prædicent, quem omnes 5 provinciæ ingenti laude extollebant, celebrabant, venerabantur; desideratissimus erat omnibus, perbeatam eam urbem arbitrantibus cui talem ducem consequi contigisset. Hoc idem fatetur Vincentia, quam tanto consilio, 10 prudentia, iustitia, humanitate gubernasti, ut te non minus diligant quam Timoleonem Corinthium Siculi, qui nullo recusante regnum obtinuit; maluit enim diligi, quam metui. Ferraria vero, Ianua, Florentia innumeræ- 15 que aliæ præclarissimæ urbes te apud eas oratorem inter alios qui nunc florent existimatione, laude, admiratione dignum iudicant. Quos sane dignitates et honores tuos adeo gessisti, ut ab eis non tam ornatum accipere 20

(2) virtus *om.* *V.* (3) misicordia *C.* (4) florent *M.* (6. 7) celebrabantque venerabanturque *M.* (8) eam *om.* *C.* (10) Vicencia *M.* (12) Thimol. *CV*, Tymol. *M.* (13) Corinthum *C*, Corintum *V.* (14) dilligi *V.* (15) Feraria *CV.* inumer. *C.* (16) præclar. *om.* *M.* (20) gesisti *V.*

sed etiam ipsis dare visus sis. Adde præclaram illam ac singularem laudem ac gloriam tuam et vere tuam (quia genus et proavos et quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco) summam videlicet humani et divini iuris prudentiam ac sacrarum scripturarum cognitionem, in quibus adeo te flagrantem prædicant, ut vestigia illius sapientissimi principis Theodosii imitari minime dubium sit, qui die de subditorum negotiis ius dicendo discernebat, nocte vero libris ad lucernam incumbebat, vel Galli illius, qui pæne mori videbatur in studio dimetiendi cælum et terram, quem sæpenumero aliquid noctu scribere ingressum aurora, et nox, cum mane cœpisset, oppressit. Hoc tibi ministrant, hoc animo et præclaro ingenio tuo vires suggerunt. Ad hæc quæ dixi te hortantur fideles illi comites tui ac consiliarii, libros inquam, quibus domus tua ornatur ac splendet, præclara

(1) set *V.* et *M.* (2) clare *V.* et gl. *V.* (4) vix *om.* C. (5) ac div. C. (6) sanctarum *V.* (6. 7) cognicione *V.* (13) qui *V.* (14) noctu *om.* *V.* (16) opressit *CV.* Hec *V.* (16. 17) hec animo tuo et pr. ing. vires fugerunt *V.* (19) libri *M.*

sane suppellectilis, iocunda familia, quæ, ut aiunt, non obstrepit, non clamat, non est rapax, non vorax, non contumax; iussi loquuntur et item iussi tacent, a quibus nisi quod velis et quantum velis audias. Sed 5 quid ago, quæ his meis balbutientibus verbis præclarissimas laudes tuas usque prosequi velle videor? Finem dicendi faciam, ne sententiam illorum nimium dicendo affirmare videar, qui nullam mutam mulierem in seculo 10 repertam asserunt. Ego vero has meas ad te dare ausa sum, non, ut ab initio dixi, ut ingenioli mei vires aut dicendi facultatem tibi viro doctissimo et eloquentissimo demonstrem, quæ nulla in me est, sed ut ex eis 15 intelligas te item a me diligi, coli ac venerari. Has igitur, immo me in eis suscipias, cum pro innata tibi humanitate neminem renuas, nomini item certe tuo ob tuam in me caritatem deditissimam. Quæ cum nihil aliud 20

(1) supell. C. (2) obserpit *V.* (5) vellis et qu. vellis avellas *V.* (7. 8) tuas *(om.* usque) persequi v. videar *M.* (9) nimium *om. M.* (10) a seculis *V.* (11) has *om.* C. (13) ut *omm. codd.* (14) elloqu. *CV.* (16) dilligi *V.* colli C. (17) imo *CV.* suscipies *V.* (19) renuente *M.* item] tum *M*, *om. V.* certe *om.* C. (20) nil *V.*

præstantiæ tuæ præstare possim, licet peccatores deus non exaudiat, in omnibus orationibus meis me memorem semper tui polliceor ac spondeo. Vale.

1) possum *M*. (3) me *om*. *CM*. (3. 4) policeor *V*.

LVI.

(Brixiæ, principo anni 1453.)

Laudat cenam et verba, dubitat, an rediens ad ipsam vel pontificem diversurus sit.

Ludovicus Fuscarenus Ysotæ Nogarolæ S. 5

VIDI ego in his meis proximis itineribus magnifica imperia, marmorea tecta, auratas trabes, Siricam suppellectilem, famulorum astantium greges, locupletissimos apparatus, fertilissima convivia, puellarum ludus, virorum contentiones et cetera omnia, quæ inter voluptates numerantur. His expletus satiatusque necubi 10

Ludovici Fuscareni epistolas ex unico codice Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis nr. 441 *(C)* edidimus. Minores scribendi errores, quibus codex scatet (ut *collenda*, *depresisti*, *conspitio*, *aparatus)* in notis referre supersedimus. Ubi lacunæ signa posuimus, in codice spatium vacuum relictum est.

Hæc epistola in codice CCLIV loco est.

(7) emporia? (8) tubes C. Sericam? (9) suplectille in C.

quam apud te iocundius cenavi, cum audiverim verba religione redolentia, sapientia redundantia, venustate ornata, facetiarum sale condita, quæ maxime nos ad eosdem
5 lares redeundi cupiditate incendunt. Visus sum Antonii et Pauli conviviis interfuisse, quorum sanctissimæ collationes auri et argenti pompas, amœnitatis delectationes, suppellectilis delitias, epularum voluptates
10 superaverunt. His gradibus me in cælum evexisses, si ibi hordeacius panis et fictiles urnæ, non assatæ peregrinæ aves ac delicatæ pateræ extitissent, præter quas nihil fuit in cena quod non esset præclarum et lauda-
15 bile. Pono ante oculos sæpius ebore, auro marmoribusque fulgentia theatra, tabulas, signa argentea mira arte celata, Parisiensia opera, Choryntia vasa, Capuanas delitias, quæ quo maiora, pretiosiora sunt, magis de
20 statu sedeque optimi cuiusque mentem dimovent. Hæc oblata maxime fugio, cogitatione fastidio. Sed verba tua melle dulciora

(11) ordeatius C. fretiles C. (13) extrassent C. (17) parisicusia C.

ex doctissimis labiis emanantia animo, quo nihil deus et natura dedit mihi et ceteris præstantius, gratissima sunt, et quanto nos magis detinent sæpius audiendi aviditate accendunt. Et recte quidem, nam me ad bene beateque vivendum studiosiorem reddunt et ignavum quemque impellerent. Neminem religiosum tibi antepono, philosophos contemno, cum memoria repeto, quid de religione, quid de animorum inmortalitate, quid de ægritudine tua, quid de vitæ contemptu dixeris, quando optabas cum Paulo dissolvi et esse cum Christo. Quæ omnia usque ad extremum noctis tempus præsente clarissimo milite fratre tuo collocuti sumus. Quas ob res crucior maxime, aut pontificem promissionibus in domo tua factis aut me tam expectata iocunditate carere oportere, potissime cum te liberaliorem suavioremque futuram pollicita sis ac memoriæ mandaturam, quid sanctis diebus audies, leges, et omnia ex ordine dicturam, si ad te redierimus. Grave est fidem fallere,

(2) ceteros C. (16) ioconditate C.

grave summis, honestissimis, fructuosissimis avidissimeque expectatis desideriis carere. Quid optem scio; quid faciam, nescio. Vale.

LVII.

(Brixiae, a. 1453.)

De laudibus Ysotae Nogarolae.

Ludovicus Fuscarenus Ysotae Nogarolae.

LAUDAS, dignissima virgo, meam in tua probitate colenda constantiam, ego vero illos admiror et detestor, qui tuas virtutes, quæ ad cælestium numina proxime accedunt, non magni faciant. Parcant dignissimæ nostri temporis matronæ, mulieribus meo iudicio præstans naturam superasti piissimæ primum matri obsequentissima, unde sanctissimæ tuæ vitæ institutiones principium sumpsere. Ipsam audis, nunquam de eius sententia disputas, quicquid mandat instituitque salutare credis, satis auctoritatis apud te est: hoc voluit pia

Nr. 292. (6) collenda C. (15) nonquam C.

mater; flexa semper animo, mente, corpore illius voluntatem .... sequeris, ceteros proximos tuos tanta facilitate complecteris, ut felicissimi sint qui apud te diutius commorari
5 possunt. Cupiditates omnes in semine depressisti, divitias locupletissimas contempsisti, quæ a sapientissimis viris etiam plerumque pluris quam par erat habitæ fuerunt, Ligurgi institutionibus edocta, qui auri, argenti usum
10 Spartanis legibus prohibuit, credens hoc edicto cunctorum criminum radices extirpasse. Non necessariam, sed voluntariam paupertatem elegisti, præter victum, urgentissimas necessitates nihil omnino ex amplis-
15 simo tuo patrimonio habere voluisti. Conspicio tuorum auratas vestes, armaria referta, frequentissimas mutationes; idem semper habitus nec sordidus, nec apparatus te creatori proximiorem reddit. Christianis cogita-
20 tionibus dedita et publica et privata officia nostra contemnis. Renuntiasti voluptatem avertistique delitias, doctrinæ et orationi assidue vacas, nihil præter Christum

(6) comptemsisti C. (10) spartansis C. (14) nihilomino C. (19) redit C. (22) aueristique C.

concupiscis; paupertate ditissima es, illis, inquam, divitiis, quibus Epicurus præclare omnes locupletari docuit, inquiens: Si vis divitem facere, nihil pecuniæ adicias, sed cupiditati detrahas. Cum igitur aurum non cupias, non petas, non sequaris, voto non exposcas, paucis indigeas, minimis contenta sine molestia vitam agas, omni regina locupletior es et in terra posita angelorum mores imitaris, nihil loqueris aut cogitas nisi quod ad dei laudem pertineat. Habitus, sermo, gestus, mens operaque consentiunt; nuda levis ad cælum non pressa divitiarum vel delictorum pondere volabis. Poteras ex omni Ytalia generis claritate, quod continua successione magnanimis viris, dignissimis matronis refertum ac illustratum fuit, fortuna, facultate, forma, tuo arbitrio virum deligere. Nam si sorores tuæ omnes clarissimæ, quibus nulla ex parte cedis, illustri matrimonio dignissimæ redditæ sunt, quid tibi contigisse iudicare possemus, in qua præteritarum,

(1) concupissis C. (7. 8) contempta C. (10) inmutaris C. (14) delitorum C. (17) matrimonis C. (18) dilligere C. (21) redite C. contingisse C.

præsentium et futurarum omnium dotes præstantissimæ singularissimæque fulgent? Multis variisque rebus humano temporum nostrorum generi ..... Idque consentiens
5 omnium fama, quibus aliqua ex causa .....
esse potuisse testatur. O feliciorem vitæ institutionem! Te sanctitati devovisti tota quanta es. Nil nisi religio est quæ stabilis est; non perditur, non dimovetur loco, quæ
10 te inter maximas urbis, orbis et temporum fluctuosissimas tempestates, miserrimas calamitates in quietissima mentis provincia iocundissime detinet. Quoniam omnia prospera, ociosa, grata diligentibus dominum, ad-
15 versa et misera, acerba spernentibus. Malorum enim consilia licet interdum speciosiora videantur, bonorum semper usu meliora non poetarum carminibus, sed prudentissimorum iudicio. Hinc tua illa admiranda et incredi-
20 bilis humanitas, qua omnibus cedis, quamquam omnes virtute antecellas. Taceo de virginitate, de cuius laudibus pleni sunt sanctissimorum virorum codices; nihil dico

(8) est] es C. (13) iocondissime C. (14) dominus C. (19) iuditio. Hic C. (21) tacto C.

de modestia, temperantia ceterisque dignitatibus tuis, quæ optimorum iudicio virtutes numerantur; quoniam cum singularis sis, singulares tibi honores debentur. Data nobis a summo deo, a sapientissima matre educata 5 ad universa maximarum virtutum genera nata esse videris, quæ omnia divino potius munere quam naturæ largitate tibi contigisse crede, hac potissimum ratione, quia nunquam propriæ gloriæ insistis; et tamen quanto 10 magis laudem spernis, tanto ad te cumulatior redit. Christum sequeris, te ipsam purissimam hostiam vivam et deo placentem obtulisti. Gravitas in te, sententia supra annos et sexum visa est; ocii inimicissima 15 nunquam tibi, nunquam religioni, nunquam doctrinæ defuisti; virtutem virtuti addendo et cumulando omnem cupidissimorum mercatorum diligentiam in hac tua litterarum et Christianissimarum institutionum negotia- 20 tione impetrasti. Vitam et spiritum inter labores et studiosissimas vigilias ducis, libidinem non intelligis, voluptates non cognoscis, amœ-

(16) nonquam rel. C. (17) defuisse (*suprascr.* defuisti) C. (20) Christianissimorum C. (21) imperasti C.

nitate non delectaris, per nobilissimam tuam urbem vagari nescis; nullus litterarius labor te ad quietem, nullæ vigiliæ ad somnum revocant; ludos, plausus, quos avidissime
5 multæ prosequuntur, tu nec cogitandos curasti; ex cælo, ad quod, si recte iudicare volumus, facillimum aditum habitura es, profecto delapsa fuisti. Et quoniam intellexisti rectissime existimans bonitatem doctrina pro-
10 cedi et ornari, quantum temporis tuæ ætatis virgines ad componendum faciem, tantum tu ad excolendum bonarum artium studiis divinissimum animum tuum tribuisti. Et optime. Moyses non antea ad sanctas cogitationes
15 accessit quam disciplinis mentem erudiverit. Daniel prius apud Babilones Caldeorum doctrina edoctus quam ad divina transgressus fuit. Consuluit famosissimo responso Apollo Genoni petenti quo pacto optime
20 vivere posset, mortuos colendos. His admonitionibus in litteris semper sapientissime versaris, in illis, inquam . . . . . quæ te doctam

(4) Ludes C. (5) prosecontur C. (6) ad quem C. (11) componendam? (18. 19) respenso Apello C. (19) que pacto C.

et bonam reddant. Et cum poetas in prima ætate a doctissimis præceptoribus audiveris, voluisti.... eas perquirere disciplinas, quibus animus optime alendus esset, maiorique studio quam Epicurei voluptuosissimos corporis 5 ..... prosecuti scribantur, dicendi genere, quo maxime excellis, delectata, sacra postea volumina complexa es. Non vulgari peritia, sed assiduo perspicacissimoque studio nihil omnino prætermisisti quod ad optimam 10 vitæ præsentis institutionem et futuram gloriam pertinere cognoveris. Et quamquam multa legeris, multa intellexeris, plura credo te piis orationibus ex sancto spiritu ..... Aliter enim fieri non posset, quod gravissime 15 sentires, ornatissime loquereris, locupletissime cum omnium admiratione scriberes. Soleo sæpe præstantissimarum mulierum historias percurrere. Nullam antiquissima illa Roma, quæ imperium terris, animum 20 æquavit Olimpo, tibi parem edidit. Extant tua scripta inde usque ab adolescentia et teneriore ætate edita, in quibus ingenium

(1) redant C. imprima C. (5) Epicuri C. (6) prose quti C. (9) perspicatissimeque C. (23) tenerior C.

singulare, doctrina non mediocris elucet. Cum te coram loquentem audio, tantam cognosco consilii maturitatem, prudentiæ singularitatem, doctrinæ gravitatem, ut mihi 5 nullo pacto verisimile sit a sola ingenii acuitate et rerum plurimarum lectione procedere, sed ab illo sanctissimo spiritu, qui ubi vult spirat, qui corpus tuum in eius servitutem redactum, nulla voluptuosa sorde maculatum, 10 virginitate splendidissimum, non veste sed moribus ornatum regit, linguam et cetera omnium membrorum officia dignissimis affectibus illustravit, nihil de te fingi, nihil suspicari et a nequissimis patitur, in tuo pectore 15 habitat, cuius electionis . . . . . cum fata sis tandem . . . . . mortales curas posita, in ipsum animo, mente, sensu conversa non vivas tu, sed ipse in te vivat. Superiores docti, qui Semproniæ et Cornificiæ carmina decanta-20 bant, tua in cælum laudibus extollissent, quoniam poesim tu omneque litterarum genus loquendo, disputando tibi familiarissimum reddidisti, ad omnes liberales discipli-

(21) omne C, *vel* et *pro* tu *scribendum?*

nas accommodata suavissime legere, facillime scribere, doctissimos viros pronuntiatione, librarios celeritate et venustate antecellis. Vidi sæpissime te, ut nosti, extempore dicere tanta cum gloria, ut nihil unquam dignius 5 suaviusque iudicaverim. Quid illustrius, quid magnificentius esse potest, quam te orantem audire maiestate dignissimam, ingenuo pudore venustissimam, generositate claram, auctoritate severam, doctrina gravem et 10 diligentia probatissimam? Quæ igitur unquam mulier te doctior fuit aut esse potuit, quæ ex ludo pueritiæ ad hanc usque ætatem addiscendo, docendo plura librorum volumina memoriæ mandasti quam multi periti 15 viri viderint? Quod fuit liberale doctrinæ genus, in quo versata non sis? Oratorium, poeticum, philosophum, theologicum declarat nihil mortale ingenium ornare posse, quod neglexeris. Tibi igitur pares laudes non polliceor. 20 Qui Sefos Lesbiæ puellæ statuam aheneam

(1) accomodata C. (2) pronontiatione C. (7) ornate C. (8) maiestatem C. (9) generositatem C. (11) negligentia C. nunquam C. (14) a discendo C. (18) poetuum C. teologuum C. (19.—20) neglesceris C. (20) non politior C. (21) statuum heneam C.

dedicavere, tibi erexissent, quoniam plus in te sapientiæ est hac ætate, quam omnes mulieres omnibus ætatibus et impudenter optare potuissent. Illas semper excipio, quas
5 religio nostra colit et nos piis votis prosequimur. Salamon, qui Saba reginam laudavit, ad te visendam accessisset, ubi peculiarem generosissimæ familiæ tuæ sapientiam conspexisset et te in delitiis habere cognovisset
10 non aurum aut pictas vestes, sed Ciceronem, Virgillium, Hyeronimum, Augustinum, et omnium præstantissimam iudicasset, quæ virtute et litterato otio nutriris et neglectis voluptatibus expeditissima bonum summum sequeris.
15 Gaudet Verona tua marmoreis lapidibus, theatris, basilicis, montibus, fluminibus, tabulis, omni denique exquisitissimo populorum ornamento, admiratur clarissimos superiores tuos, veneratur generosissimos fratres, colit
20 prudentissimam matrem, incredibilem sororum tuarum pulcritudinem cum stupore intuetur et divinissima virgine serio quasi

(8. 9) conspisisset C. (12) præstantissimum C. (13) literato octio C. (16) teatris basiliis C. (21) cum] con C. (22) et] et non C.

suo singulari lumine, splendore et ornamento triumphat, quæ prisca et nova virtutum genera superare cognosceris. Te quotiens memoria repeto, Catelinam Crichastinam et reliquas sanctissimas et doctissimas virgines videre 5 videor. Credent hæretici, qui illarum virtutes falso memoriæ traditas suspicantur, religiosis codicibus, cum intellexerint te constantia et doctrina et omni illustri morum genere tanto tuis temporibus anteponi, quanto illæ 10 suis scribuntur antecellere mulieres. Mentes diligere etiam optimas, a frequentatione vero soleo abstinere; de te autem et tecum tacere non possum, quoniam in Ysota sexus ille paululum aliarum debilitate pressus maxime 15 placet, cui nullius sunt virtutes superiores. Religionem et doctrinam tuam etiam pessimi tanti faciunt, ut ad gloriam ætatis nostræ nata esse iudiceris. Te igitur, ut unde longe digressus sum, redeam, certa ratione 20 et experientia amare cogor, quia nullum

(1) splendidet et C. (2) trihuphat C. (6) videor *ego addidi.* heretics C. (11—13) antecellere mulieres mentes dilligere e. opt. confrequentatione vero solum abstinere de te C. (16) ploret C.

clarius virtutis terrestre habitaculum. Quibus in rebus nec fallo nec fallor. De nulla tot tamque præclara iudicia edita sunt, nullus Ytaliæ locus tam desertus, quo tui nomi-
5 nis fama non pervenerit. Cum recto . . . . . et securissimo animo Romam piissimæ peregrinationis causa petiisti, quo consilio, qua auctoritate, qua dicendi copia, quanta cum pontificis et fratrum admiratione locuta es!
10 Maximi sunt qui apud maximos maxime æstimantur. Hic plura non dicam nec alia exempla proponam, cum iam et nostris et posteris omnibus exemplo optimo futura sis. Nec quisquam dubitabit, quanti fueris, quæ
15 iam diu non meis scriptis, sed tuis meritis fama sis super æthera nota. Auxerunt auctoritatem tuam peritissimorum hominum litteræ, quæ ex variis diversissimisque locis ad te deferuntur et tua responsa avidius
20 quam olim Sibillarum consilia expectantur et proferuntur. Cæsariensis Cardinalis nihil in universo suo illo longissimo itinere te sua

(3) tanque C. (4. 5) nominis] nos C. (7) potuisti C. (9) fratrum *fortasse corruptum est.* (11) existimantur C. dicant C. aliarum C. (16) hetera C.

cognitione dignius iudicavit et in tua potestate naturam, virtutem et doctrinam fuisse censuit. Idcirco in domino glorieris, cum tantum genere excellas, maiestate præstes, litteris prævaleas, virtute anteponaris, quod 5 in omni sexu laudanda esses, sed mulier longe magis, quia rarius contingit et dignius admirabiliusque iudicatur. Plura scriberem, si dedita opera ad ea quæ meritorum tuorum magnitudo flagitat mea conversa fuisset 10 oratio. Sed quoniam casu in hunc sermonem incidi, hæc explicandarum amplissimarum tuarum laudum causa dicta non accipias, nam singulæ virtutes tuæ, quas negotiorum multitudine impeditus . . . . . adnumerari 15 singula sibi volumina exposcerent et longissimam orantis ætatem. Vale.

(13) non] vero C. (15) multitudinem C. virtutesque *ante corr.* C. *Lacunæ signa ego addidi. In* C *a manu secunda post* impeditus *additum est* in gregem. (17) ornatis C.

LVIII.

(Brixiae, a. 1453.)

Dolet falso accusari de mendacio promittens se constantissimum in colendis virtutibus futurum.

5 *Ludovicus Fuscarenus Ysotae Nogarolae.*

NESCIO, quo pacto doleas et mortalium omnium delicta, ut accusandi causam habeas, in me convertas. Negligentiae vitium ascribis, quoniam inter
10 miserias mearum litterarum solatium frustra expectaveris. Scripsi litteras, Clementi Tedaldino ad te, ubicunque esses, deferendas dedi, cuius manu testimonium his inclusum mitto. Si mihi, si verbis, si scriptis, si testibus
15 non credis, publico tabellioni fidem non deneges. Urge tamen, increpa iure iniuria, iocis serio, et ut lubet mecum agas. Teren-

Nr. 293. (5) Ludovivicus C. (12) ubiconque C. differendas C. (17) lucet C.

tianis verbis utar; fortunata es, cui de integro est potestas etiam consulendi, quid velis retinere, amare... Ego in eum incidi locum, ut propter singularem sanctitatem tuam et æstimationem maximam neque sit amittendi 5 neque retinendi copia. Malo non credenda credere, quam te vero verissime perpetuoque amare; non quidem, quod ulla in re decipi velim aut de alicuius in me benivolentia errare, sed tanti est mihi religio tua, ut quidvis 10 faciam, dummodo amicus tibi sim. Nihil omnino mihi reprehensiones tuas convenire certissima es. Verum nisi novissimas litteras a Clemente habuissem, me profecto severissima epistola tua et perterruisset et fefellisset, 15 a quibus te non arguendo, sed rogando, sicuti semper soleo, moneo desistas. Si enim non abstinueris et hoc certamen iniverimus, cum mihi plurima subsint, quæ de te vere queri possum et tu ingenii acuitate et faceta 20 consuetudine multa de me cogites, invenias, fingas, non erit concertationi modus. Sit inter

(4) santitatem C. (4. 5) existimationem C. (11) tibi *om.* C. (18) iniueremus C.

nos doctrinæ, probitatis... morum contentio, quibus honestissimus amor cœpit excrevitque nulla utilitatis spe, nulla voluptatis cogitatione, sed virtutis opinione; in his vincamus nec
5 superari patiamur. Et si me amantissimum habes et ita omnes existimant et ita sæpius experta es et ita te assecutam fuisse confiteris, quid est, quod negas epistolam nostram redditam esse? Quid est, quod doles?
10 Quid est, quod me totiens lacessis et cum quadam irrisione laceras? Ego de te semper præclarissime iudico, de tuis humiliter sentire non possum, ea fide atque integritate amicitiam colo, ut tua omnia magni faciam, nihil
15 unquam a te alienum a doctrina virtuteque fore iudicavi nec aliis indicavi. Nullum omnino verbum ex labiis nostris excessit, quod ad te non iocundum et ad alios de te non honorificentissimum accederet. Qua re aliud de me
20 prædicas, quem nemo etiam hostis hoc non arrogantem... velim mentiri audivit. Divitias, potentias, dignitates et cetera fortunæ mu-

(2) cepit C. (3) utillitate C. (10) lacescis C. (16) iudicari n. a. iudicavi C. (21) auduit C. (22) et] ex C. fortuna C.

nera non negligo nec multitudinis indoctæ iudicia sola bona censeo. Sed optimarum mentium ornamenta . . . in terra sine veritate, auctoritate vivere non possem. Prohibent enim et ab ineunte ætate susceptæ vitæ insti- 5 tutiones et natura mea. Nolo diuturna falsitatis sollicitudine angi, nolo vanis defensionibus, ne deprendar, uti, nolo pavidis suspicionibus, ne contraria loquare, agitari. Abhorreo tandem omnes fallentium artes veritate tutus, 10 cuius facilitate delector. Tu quæ magis ingenio, magis memoria confidis, scis, quo iure me in causa cognati tui calumniaveris, quo iure me reprendas, quo iure manifestissima dissimiles, quo iure attestata neges. Ego idem 15 sum; figmenta decidunt nec possunt esse diuturna. Relege igitur, amabo, a sanctimonia tua etiam iocosas simulationes, præsertim illas, quæ me tibi deditissimum ita misere vexant. In amicitia nostra hoc servavimus, 20 ut propter commune bonarum artium desi-

(2) iuditi ea C. (3) insterra C. vera? veritatis? (5) subsepte C. (7) solic. C. (8. 9) suspitionibus C. (9) aboreo C. (11) eius f. delectare C. (13) calomn. C. (17) a malo a s. C. (19) dedititiss. C. (20) vexunt C.

derium neque tu secularia negotia nostra fastidiveris neque ego sanctitatem tuam veritus sim. Qua re nunc me tui ita dissimilem fingis, quod ad coniunctionem necessitudi-
5 nemque servandam plurimum obesse solet? Da operam potius, quod optima morum nostrorum opinio, quæ principium ad benivolentiam dedit, amicitiam in æternum servet et delectabilissimum nostrum scribendi studium
10 non tepescat. Si ocium superest, quanto latius scribes tanto mihi gratius erit; si in negotio fueris, breves litteras tuas sæpissime legendo longissimas efficiam, quoniam nihil iocundius, nihil sæpius, nihil amplius lego
15 quam quæ tu ornatissime et sanctissime scribis. Si nihil tuam taciturnitatem licet, gravi, æquo tamen animo patiar, dummodo, ut tuis verbis paciscar, id vitii, quod tibi est, mihi non prædices. Nihi-
20 lominus incusari, pungi, expediri arbitror, posteaquam tu optima ita sentis. Gaudeo tamen id nulla culpa fieri, licet fortasse in-

(1) tu *om.* C. (2) santitatem C. (4) coniuntionem C. (20) expedire C.

cognita mihi ratione accidat. Litteras mea manu scriptas non mitto, ne credere videar eas ad te non pervenisse et testes meos ego ipse reprobem. Verum, si velle perseveraveris, nedum sententias, sed verba ipsa omnia exarabo; nam quæcunque ad te scripsi et scribam, ita ex corde prodeunt, quod oblivisci non possem etiamsi universam Letem potarem. Quod autem in tuarum litterarum... me hortaris ut te amem, stimulas supra vires iam diu currentem. Ego ille semper fui, qui cum omnibus qui litterarum studiis detinentur me maiori benivolentiæ vinculo... quam cum illis qui quacunque necessitudine sanguinis vel generis coniuncti sunt, et te nostræ ætatis decus tanta caritate conplector, quod me felicissimum iudicarem, si id tibi constare posset et aut paribus aut aliquibus licet longe inferioribus affectibus responderes. Et quia scio te eas doctrinas appetere et in his versari et excellere, quibus ego summopere delector, etiamsi, quod absit,

(4) reprobam C. (8) universum C. (10) stimulis C. (14) quaconque C. (14. 15) sanguinis generis ut coni. C. (19) longie C. (21) excedere C.

omniumque minime tibi odio essem, non possem cælestes mores tuos non summopere amare. Adest religio, qua fervere interdum piissimas orationes tuas pro nobis ostendisti.
5 His et plurimis aliis rationibus ita ad probitatem tuam amandam trahor, ut licet in prædicanda mea in te pietate omnium aures impleam, mihi satisfacere non possim. Igitur me conari tantum scio declarare meam in te
10 mentem, non tamen perficere quod conor sentio. Sed ut uno verbo concludam, tantum te a me coli tibi persuade, quantum virtutem mortalem ab homine mortali fas est. Vale.

LIX.

(Brixiæ, a. 1453.)

Dolet mortem Traiani medici, consulit a medicis abstinendum, quorum vitia, virtutes declarat.

Ludovicus Fuscarenus Isotæ Nogarolæ. 5

Cupienti mihi vehementissime aliquid felix prosperumque post tot vexationes ex naturali rerum vicissitudine audire, supervenerunt litteræ tuæ doloris et angustiæ plenæ, quibus certior fac- 10 tus sum Trayanum nostrum, virum clarissimum, dies ultimos clausisse et te in eius ægritudine assidue sollicitam fuisse. O res duas molestissimas, et amicum mihi et Ysotæ medicum perisse! Ingemui, lacrimatus sum, 15 dolore arsi, tam doctum, tam expertum, tam probatum medicum defecisse, cuius morte te lugere, dignissimam matrem tuam senio

Nr. 294. (7) potest tot C. (12) tn tuis C. (13) solicit. C. (18) lugiere C. scenio C.

confectam squalere, universam generosissimam familiam affligi, florentissimorum Veronensium magnum lumen concidisse cognosco. Is tibi in sacris studiis occupatissimæ propter
5 adversam valitudinem pernecessarius erat. Probo maxime illius in te servanda fidissimam curam, quæ tui negligens diviniora sectaris. Acies illa tui ingenii supernæ veræque deitatis cognitioni intenta corporis et terre-
10 norum omnium obliviscitur, igitur consilio eget. Suscepi tamen voluptatem, quod in ipsius ægritudine frequentissima fueris teque et gratam et memorem beneficiorum declaraveris. Piissimam Isotam accinctam et suf-
15 farcinatam videre videor Troiano cibum et pocula ministrare. O singulare mortis solatium, angelos astantes habere! Sublevabatur morbi gravitate et mortis terrore tuis nedum obsequiis, sed verbis et doctrina, quæ vera
20 bonitate, non umbratili singularique probitate fulges. Quam ego iam diu expertus ubique

(5. 6) erat, probam C. (6) servandam C. (9) cognitione C. (10) obliviscar C. (11) qui C. (12) frequentissimam C. (14. 15) accintam et suffracinatam C. (20) singulari C. (21) fulgies C.

testor et in eius cogitatione suavissime moror quoadque fieri potest non dimitto, et sive inter angustias sive inter risus tua lux ubique etiam in tenebris obscurissimis lucet. Sollicitus maxime sum post 5 tanti viri obitum, quem Troyani successorem eliges. Abest clarissimus Gierardus; adverte cui salutem tuam committas, quoniam æterna es dignissima vita, vel si hoc inferioris orbis natura non patitur, tu 10 quæ singularis Fenix es ad eius longissimos annos accedere stude. Plures nostrorum medicorum sunt qui famam novitate periculorum aucupantur, ne parum multa scire videantur . . . de nobis concretam, nunquam idem 15 sentiunt, mutantur cottidie nostro periculo experimenta. Quædam epigrammata legimus: Medicorum copia perii; plura vera quam scripta fuisse certe scio. Consulimus de illorum agricultura quibus rura nostra commit- 20 timus, et quibus vitæ necis potestatem concedimus, de his non investigamus. Interdum

(5) Solicitus C. (7) elligies C. (10. 11) tumque singularis C. (12) studeque C. (14) scise C. (21) nocis C.

auro cincti, ad terram usque togati multos quidem libros inspiciunt, raros perdiscunt; doctissimi etiam quidam viri nostræ ætatis sunt, qui optime disputant et pessime sanant. Nulla artium difficilior, nulla inconstantior, nulla sæpius mutata, nulla fallacior. Spe et salutis dulcedine cuicunque se medicum profitenti creditur, mendacii credulitas mortem sine vindicta parat et, quod deterius est, defunctos indoctissima turba criminibus prosequitur: alius intemperantiæ, alius laboris, alius inobedientiæ damnatur, defenditur ignorantia. Ostentationibus et gloria imperiti experimentatores . . . magis videri quam esse vitæ conservatores student. Mutant herbarum nomina, ne vulgo nota sint, componunt antidota ex infinitis variis diversissimisque rebus inæqualium ponderum, quo eorum ars admirabilior scituque difficilior videatur; producunt ægritudines lucri causa; infirmos debilitari maxime patiuntur aliquando, ut videantur sua doctrina animas ab inferis revocasse et gloriæ . . . sua improbitate ad mor-

(19) situque C.

tem usque perductos reviviscere. Hoc Aesculapius ingenio, hoc qui Troyanorum tempore resurrectionis causa fuisse perhibentur usi fuere. Quas ob res multa gentium milia sine medicis vivunt. A Romanis post sexcentesi- 5 mum annum ab urbe condita recepti medici Catonis auctoritate repulsi fuere, et posteaquam quorundam lascivia rediere Quiritum paucissimi eorum opera utebantur et sapientiores Aesculapii templum, qui eius artis deus 10 habebatur, extra urbem iterumque in insulam fecisse traduntur. His exemplis motus medicos, quorum ego doctrinæ similitudine familiarissimus sum, audio, excogitatas vero compositiones externis peregrinisque rebus 15 semper abhorrui et detestatus fui. Cum tamen hic plusculis diebus propter dubiam valitudinem principio adventus nostri me domi continuissem, dolebam et ægre ferebam multitudini negotiorum, quibus ego non modo 20 impeditus sed obsessus eram, satisfacere non posse, venire medicos passus sum.

(1) reviviscor C. (3) peribentur C. (5) viunt C. (8) lasinia C. (14) excogitas C. (16) aborui C. (17) pausculis C. (21) obscessus C.

Pocula semel sumpsi, quibus ita stomacatus fui, ut dum prius dubitarem de sanitate, sumpta medicina me certo ægrotare cognoverim. Nullus cibi sapor, corporis dolores, et tan-
5 dem ægritudinem illam pristinam felicitatis loco optabam. Vir bonus et doctus familiaris et amicus doluit profecto maxime et mihi postea verbis mederi cœpit, quibus brevi restitutus sum. Medicina igitur in tres divisa
10 partes est; una victu, alia medicamentis, alia manu medetur. Prima te adiuva; in duabus reliquis partibus paucissimis confide. Sunt tamen clarissimi viri, quorum opera interdum indigemus, quoniam sicut alimenta conser-
15 vant, sic medicinæ quæ salubres et comtæ sunt sanitatem pollicentur. Non enim bonam artem damno, qua nulla saluberior, nulla dignior, cum tuendi servandique corporis causa quæsita et inventa sit, sed eos, qui
20 quæstus cupiditate, malitia, ignorantia, rei difficultate ipsa bene uti aut nolunt aut nesciunt. Multa sunt, quæ medicum scire opor-

(1) pecula C. (6) obtabam C. dotus C. (8) cepit C. (15) conite C. (21. 22) nolunt aut noscunt C.

tet. Cognoscendæ sunt præcedentium ægritudinum causæ, abditorum, evidentium, præsentium et futurorum morborum occasiones; ratione, usu exploranda omnia censeo. Calor, frigus, fames, satietas — non bene occurrit 5 vel succurrit, qui originem ignorat; naturales actiones, artes, officia, parentum etiam mores notandi sunt, interiores partes, ex quibus principiis corpora nostra consistunt, advertendum est, rerum temporumque natura con- 10 templanda et omnium partium dolorum, vulnerum, tremefactionum, obtusionum ratio comperienda est. Incidenda sunt mortuorum corpora, eorum intestina et viscera scrutanda. Audivi etiam vivos crimine damnatos per- 15 cuti considerarique manente spiritu partium positiones, clausos et apertos meatus, calorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, livorem, contactum, processus et recessus, sive quid inseritur alteri sive 20 in se recipit, quæ integra, quæ corrupta sunt, quid extrinsecus posita remedia et quo modo

(12) obtusinium C. (19) molitione C. (22) extrinsicus C.

compertis interiorum sectibus et figuris intus prosint. Neque crudele est, paucorum nocentium suppliciis multorum innocentium remedia quæri. Ponderanda sunt, quibus
5 secundam valitudinem servemus, quibus adversam fugiamus, ex humoribus quid superans, quid deficiens sit, nec speres eum recte curaturum, quem hæc fallunt. Nec experiendum faciliter est nec inculcanda sunt
10 medicamenta, sed summa cum ratione . . . nec sola valent experimenta, quoniam interdum nova incidunt morborum genera, in quibus prudentissimorum antiquorum usus esse non potuit. Differt etiam plurimum
15 Brixiæ vel Veronæ spiritum attrahere alium, item alium cibum sumere. Quærendum in quas membrorum partes digeratur, quantum venæ nostræ se submittant vel attollant. Intelligendum, quæ sit somniorum et vigiliarum ratio,
20 quid egesta significent, quid accidentia minentur, quid animi motus testentur. Quæ et plurima his similia quia humano iudicio ferme in-

(5) secondam C. (7) difficiens C. (15) atraere C.
(16) quoquere C. (17) digeritur C. (18) intelligere C.

comprensibilia sunt, pauci admodum non solum excellentes sed vix mediocres medici reperiuntur. Idcirco, si potes, abstine, cave novos magistros, nisi Troyano vel Gierardo aliorum periculo ipsos similes certo cognoveris. Ti- 5 meo eorum diversissimas contentiones audire. Quomodo, credis, de cibo, quod facillimum et frequentissimum est, litigant? Alii ipsum atteri et in ventre condi, alii putrescere, alii per calorem coqui, alii crudam materiam in 10 corpus omne deduci. Et cum hæc parum constent, quo pacto de occultioribus rariusque contingentibus iudicabunt? Opem igitur prius a superis exposce, verisimile enim est sancta tibi auxilia non defutura et verisimi- 15 lius te propter divinos mores servari. Si quando tamen corporis robora quiete, cogitatione, nocturnis vigiliis, ieiuniis minuuntur, saluberrimo urbis tuæ aere fruaris, quæ te nascentem excepit, aluit, complectitur et ad 20 Sibillarum gloriam usque summa cum laude perduxit. Si quando urbis tædium tenet, Poianum mihi æterna et iocundissima semper me-

(2) excellentis C. (6) contemptiones C. (8) et *om.* C. litigent C. (9) aterri C. (10) coqui] quoque C.

moria servandum accede. Audies . . . amœnissimi fontis aquas, videbis agros fertilissimos, quos fructus summo et honestissimo cum fenore coacti reddant, quos flores, quos sa-
5 pores, quos succos, quos colores sponte edant, quibus resipisces! Ceteras loci amœnitates longioribus meis litteris descriptas prætereo, quibus non respondisti, nisi forte foliis carmina mandaveris, quæ turbata vento,
10 imbribus grandinibusque volitaverint. Hæc cum ita sint, tuo dolore patior; sed te hortor, id velis quod possis, noli in tua salute alienis pedibus incognitis ambulare; plus tibi alimenta, deambulatio, amœnitas quam me-
15 dicinæ famulentur. Tuarum litterarum in me liberalis sis, qui apud ceteros notos et familiares meos de avaritia, apud te possum de prodigalitate reprendi. Vale.

Vehementioribus tuarum litterarum parti-
20 bus respondebo, quando maiori patientia legere scripta nostra institues; nam ita tuo dolore exanimatus sum, quod verba deficiunt, licet ira superfluam. Iterumque vale.

(5) reddunt C. (12) ortor C. (24) licet iura superfluant C.

LX.

(Brixiæ, a. 1453.)

Finis dolori et querelis imponendus est.

Ludovicus Fuscarenus Isotæ Nogarolæ.

SPERABAM, quod vulgo dici solet, 5
dolores omnes tempore minui et
molliri; ideo hanc expectabam
medicinam antequam tecum loquerer. Sed
cum sæpius, ut soleo, tuas litteras lego, au-
gescit ægritudo nostra et quanto diutius pa- 10
tior tanto magis mæreo et admiror, quæ
mihi experimenta inpreceris, quem laborum
finem optes, quos luctus, quas lacrimas tibi
iniecerim, quæ peccata, quæ scelera tibi
opposuerim, quo iure a nobis abdicata sis. 15
Dixi scripsisse litteras, Clementi Tedaldino
dedisse. An hoc falsum censes? Tibi redditas

Nr. 295. (9. 10) augiescit C. (13) lutus C. (14) iuic-
cerim C.

credidi. Confiteor me lapsum, extant multa mea in illum merita, fallere credentem, non est operosus amicum iste labor. Me magis erigere, hortari pro tua pietate debueras, 5 quam præcipitem impellere et . . . . afflicto addere. Erravi potius, quam deliqui. Quare gemis, quare lamentaris, quare frangeris, quare debilitaris, quare pati non potes? Deterruisti verborum severitate et rationum un-10 dique collectarum multitudine, accusasti gravius quam consueveras; itaque iudicium tuum veritus me collegi et quæ scripseram memoria repetens tua reprensione digna non comperi. Intuere, si placet, litteras nostras 15 sæpius et diligentius; hoc idem arbitror tibi accidet: te continebis, laudabis animi nostri liberalitatem, qui optime amicitiæ officio functus sum, nihil in mente retinui quod a labiis distaret. Si recte facies, si sententias 20 nostras auscultabis, istam exturbabis ex animo ægritudinem. Summa et verborum omnium conclusio fuit te tantum a me coli quantum virtutem mortalem ab homine mortali. Multa

(3) Ne C. (4) ortari C. (7) genus C. (16) te *om.* C.

præterea his similia et tuam dignitatem et meam benivolentiam testantia — de his nec visum nec lectum nec auditum a te quicquam — contenta sunt. Omnia scripsi te facta consuetudine aliquando de me finxisse. 5 Hoc est dirum, hoc est execrabile, hoc est inauditum verbum! Afflicta iacens lamentabili voce tantam iniuriam defles, vix ad te per multos dies conclavi clausam pia mater accedens conlacrimans gelida refecit aqua, adeo 10 inmutata es. Quieto animo sis. Gravia ferre moderate difficile est. Optimum, morigeratum tuique similem animum levi errore grandi molestia uti non oportet, nulla præsertim culpa. Resurge igitur nec generosam fortitu- 15 dinem, quà dolores omnes contemnere magnanime non dubitasti, dolere et miseria tabescere . . . . . nihil est quod magis ingenio noceat, quam mæsta cogitatio, nihil optimis studiis magis contrarium est, quam tristis 20 meditatio. Redeat præstans illa sapientia et divina animi vis. Etiamsi, quod absit, male dixissem, disce, cum multa dicas, aliqua non

(4) contempta C. (6) exacrabille C. (10) gielida C. (11) es] est C. afferre C. (14) opportet C. (18) ingienio C.

secundis auribus audire. Sic itur ad astra, ad quæ non est mollis e terris via. Modereris istas tuas litteras, quæ mihi acutiores gladio fuere. Sana bonis verbis, si potes, iam pro ...
5 infixa vulnera menti, religioni sanctitatique tuæ deditissimæ. Nam ut comicis verbis utar, tuo mærore maceror, consenesco et tabesco miser. Quod vero petis consilium meum contra Clementem, convitio decertandum non
10 censeo, nec debes maledictis respondendo, paria audiendo, dicendo te illi similem reddere, qui gloriæ suæ ascriberet tibi inimicus dici. Ipsum posthac ego quam fures aufugiam, quoniam illi me pecunia defraudant,
15 bonus iste vir optimum tuum de me iudicium variavit. Quod ut antiquum non remittas oro, quoniam reprensiones tuas timeo, falsas suspitiones formido, tuo dolore debilitor. Te obsecro, ut tuarum orationum spe, quibus
20 nullæ mihi cariores sunt, uti liceat nec sæpius irasci velis, ne sola plores super iracundiam tuam; nam sæpe flumina magna vidimus parvis de fontibus orta. Vale.

(2) qua C. (6) deditissima C. (21. 22) sol plures s. iracondiam C. (22) flamina C.

LXI.

(Brixiae, a. 1453.)

Hortatur ad componendas lites fratrum.

Ludovicus Fuscarenus Ysotae Nogarolae.

CONSILIUM meum tibi placuisse gaudeo, quod licet ex medicinarum experientia non sit multum prudens, ex animi benivolentia est maxime fidum. Non intellexeram prius fratrum tuorum controversias. Qua de re quid molestiae ceperim, scire potes etiam me tacente, quoniam eos amo, colo, inter meos carissimos habeo et te dignissimos germanos iudico. Sed lectis litteris tuis scripsi clarissimo viro Belpetro, qui me aliquando audire consuevit, ne velit generum suum in duriori sententia persistere. Te etiam hortor, ut eos componas; nam

Nr. 296. (3) Ortatur C. (7) perrudens C. (17) ortor C.

nemo in Ysota superbas aures habere posset, nullum libentius sequentur consilium, quam quod tu sapientissime ac sanctissime attuleris. Romanorum et Sabinorum prœlium mu-
5 lierum pietate regnante Romulo sedatum est, quamquam capto a Sabinis . . . . . collatis signis vindicandæ iniuriæ causa in medio foro pugnaretur. Volscorum legiones Coriolano duce, quibus obruta urbs fuisset, a
10 quinto civitatis lapide matronarum verbis aversæ sunt. Si orationibus cesserunt arma, tacite auctoritate tua, quæ plurimum momenti habes et cuius virtus apud omnes magni est, lites componentur. Quod si non accideret,
15 roga, castiga, aude, non fastidient preces, non indignabuntur reprensiones; sed si securim vis ad radicem ponere, da operam, primo consultores non audiant, qui lucri causa et obsequendi studio erroribus mentes
20 nutrient, et in his depone facilitatem, indue severitatem, si res exigit. Nam in administratione navis alio in secunda, alio in ad-

(1) Ysota C. (6) *Excidit* Capitolio. collactis C. (7) caue C. (9) obrupta C. (12) tacita auctata tua C.

versa tempestate moderamine utimur. Si dividere nolunt, estne tanta difficultas, ut omnino tribunali contentioso opus sit? Habetis cognatos, affines, qui Octaviani et Anthoni portiones pares facere potuissent; his utantur, patiantur id ratione fieri quod etiam multas iniurias, labores et . . . . . necessitate subire cogentur. Malint fratres quam adversarii dici. Sunt genere, eloquentia, facultatibus, auctoritate maximi. Satius esse ducant, paulum de suo iure reddere quam se viribus suis conficere, qui plus iuris habere credunt, modestioribus . . . . utantur. Xerses et Armenes Dari filii de regno contendebant. Armenes ex Bactriana veniens fratri munera per nuntium misit et hæc addidit verba: o Xerses, frater tuus te his donis honorat et si unquam ei regnum evenerit, tibi promittit omnium te maximum apud ipsum fore. Cum Xerses regnum accepisset, Armenes statim ad ipsum venit, diadema suum capiti eius imposuit; Xerxes autem secundum ei post se locum tribuit sicque felicissime vixere.

(7) **ingurias** C. (8. 9) **adversari** C. (15) **b'atriano** C. (17) **onorat** C.

Errant igitur fratres tui, si credunt litibus patrimonium crescere. Labetur vanius in libellis, exceptionibus componendis, quam si in exsiccando mari . . . . montibus profun-
5 deretur nec alios amicos habebunt, si inter se fratres dissident. Vincat necessitudinis suavitas auri sitim. Dividantur potius locupletissimæ facultates inter hæredes quam disperdantur inter calumniatores, qui seditioni-
10 bus aluntur, qui contentionibus regnant, qui clientulis non præsidium, sed periculum afferunt, qui non quietem, sed litem pollicentur, qui non legum auxilium facultatibus præstant, sed facultatibus incendium submittunt. Quan-
15 tas tragedias excitabunt in hac divisione, sed verius dilaceratione! Ridebunt invidi, cum eos implicatos viderint. Tu gemes, plorabis, dolore ardebis et vota facies. Quas ob res, soror optima, cum labefactari, convelli disper-
20 dique videas patrias facultates, fer opem germanis, succurre quieti, serva fortunas, implora optimorum cognatorum auxilia, tuam utilitatem communi posteriorem ducas, inter-

(2) credere C. (4) exicando C. (11) clientelis? (13) legibus aux. C. (15) tragiedias C. (16) dilacoratione C.

clude seditionum semina, summum bonum in concordia iudices, quia pluris sunt omni tesauro fraterna præsidia, quæ fide, officio, remissione conservantur. Maximæ et antiquissimæ copiæ vestræ pace firmabuntur et quia optime partæ sunt, æternæ fient. Obsta principiis, quoniam melius est intacta corpora servari, quam post vulnus salutaria remedia quærere. Provide, ne aliquid eveniat. Nam cum in ius vocati fuerint, omnia patronorum arbitrio facient; mos eis gerendus erit, qui victoriam brevi promittent. Si te principio vehementer opposueris, non laborabis frustra; cum optime modum in te statueris, alios facillime obsequentes habebis. Tua, si opus est, prodas, ut fratrum caritatem serves, nec egestatem timeas, quoniam dominus non derelinquit sperantes in se. Tempus est, quo virtutem tuam in proximos ostendas. Ne sciam tua rusticitate sibi soli prosit. Non permittas huius mali contagionem serpere, quoniam si nascentes has perturbationes sedabis, quanto pluris est cari-

(5) franabuntur C. (8) potest C. (13) pr. uhcmente et oposueris C. (20. 21) Ne sciam—prosit *corruptum est*.

tas auro, tanto maiores tibi fratres, si sapient, gratias agent quam proavis vestris huius tanti patrimoni auctoribus. Nollem postremo audire, quod te totiens pro curandis infirmis periculis et laboribus obiceres, ut salutem tuam negligeres, nam id arbitrantur sapientes in vita esse utile: ne quid nimis. Vale.

LXII.

(Brixiæ, a. 1453.)

Consulit, quod non implicet se litibus, sed solitudine et studio fruatur.

Ludovicus Fuscarenus Isotæ Nogarolæ. 5

DOLEO te vexari fratrum discordia et inter suavissima litterarum studia veluti improviso soni terrore percussam animo turbari orationesque piissimas impediri, quas a principio vitæ tuæ maxime 10 dilexisti; studuisti enim plurima tecum, pauca cum aliis loqui. Scripsi meam superioribus diebus de pace sententiam. Sin autem eo progressa sunt omnia, ut de concordia diffidas resque in iudicio agenda sit, non patiaris 15 ad causas in medias populorum turbas trahi et ex tuo salutis portu tempestatibus obici. Deo preces effunde et quanto magis distra-

Nr. 297. (8) improvixo C. (8. 9) percusam C. (16) immedias C.

heris sui in te magis desiderium foveas. Ianua, quam te omnes contigisse existimant, non patiaris excludi et tanto magnificentius terrena negligas quanto in dies tibi sunt no-
5 tiora cælestia extra cupiditates iam diu posita in te, ac sanctitatem tuam, mentem, sensus animosque converte; curas alias relinque, quæ nos fallaci et parum duratura voluptate delectant, Salamone sapientissimo et exper-
10 tissimo teste, qui ait: Magnificavi omnia opera mea, ædificavi mihi domos, plantavi vineas, feci hortos et pomeria, consevi ea cuncti generis arboribus, exstruxi mihi piscinas aquarum, ut . . . . silvam lignorum germinantium;
15 possedi servos et ancillas multamque familiam, habui armenta quoque, ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Ierusalem, aurum, argentum et substantias regum ac provinciarum, feci mihi cantores et delitias
20 filiorum hominum, scyphos et urceos in ministerio ad vina fundenda et supergressus sum

(3) patieris C. (12) ortos C. (12. 13) conserui ea cunctis generum arb. extrussi m. pissinas C. (14) *lege* ut irrigarem s. (16) *lege* quoque et magnos ovium gr. (18) sustantias C. (19) *lege* cant. et cantatrices et del. (20) sifos C. ulcerros min. C.

omnes opibus, qui fuerunt ante me in Yerusalem. Sapientia quoque perseveravit mecum et omnia quæ desideraverunt oculi mei non negavi eis nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur et oblectaret se in 5 his, quæ paraveram, et . . . . . sum partem meam, si uterer labore meo, cumque me convertissem ad omnia opera mea, quæ fecerunt manus meæ, et ad labores, quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et 10 afflictionem animi et nihil durare sub sole. Cum deo igitur, qui idem semper est, sicuti consuevisti, conclavi illa tua in ultimis . . . . . partibus semota loquaris, a quo fortitudinem accipies. Non te moveant alio- 15 rum exempla indigna, sed virtutes tuæ et domini dei nostri auctoritas, a quo omnia, in quem omnia et ad quem omnia referes. Non sum nescius, quæ temporum et tempestatum natura fuerit, primos hos motus in tua 20 potestate non fuisse. Venia digna es. Sed si, postquam diu cogitasti, neglectis cælestibus,

(6) *lege* et hanc ratus sum. (7) laborere C. (11) cum de eo igitur C. (13) comellavi illa C. (18) referas? (20) fuerint C. (21) venie C.

derelictis supernis ad terrestria te convertes,
tua admiratio longissimo labore parta in derisum perveniet. Si quando paululum te audies, tecum convenies, tecum cogitabis,
5 scies quæ dico et cognosces quæ loquor vera esse. Quot erunt, quæ languorem invidiamque dissimulatam aperient falsis causis, optima tua opera damnabunt, præclara tua studia in iactantiam convertent! Aderit im-
10 peritissimæ multitudinis consensus et omnes quæ te imitari non potuerunt tibi maledicere paratissimæ erunt, et quæ occultis bonis operibus non crediderunt mala verba iactabunt et non modo sanctitatis tuæ obliviscen-
15 tur, sed falsa suspicabuntur. Consueverunt multæ etiam non tenues mulieres in alienis negotiis gravissime censere, et quæ deteriores sunt ex suis vitiis aliena gesta pensare. Fuge, quicquid non solum palam reprendi,
20 sed tacite de te cogitari potest, perhorresce fictas fabulas. Nihil est tam molle, tam fragile, tam flectibile quam vulgaris opinio, quæ etiam interdum recte factis fastidita ipsa

(2) admirati C. (6) langorem C. (11) immittari C. (14) sanitatis C. (21) mole C *(an* mobile *scribendum?)*

falsis hypocrisis nominibus appellet. Hanc negligere crudelitatis esse Augustus censuit. Plura non dicam, ne te potius docere quam rogare velle videar; spero enim nostris precibus et tuæ vitæ incitatione te in gravitate 5 constantiaque tua mansuram. Nam tibi est ingenium ingens, est grande Platonis eloquium et summa cum gravitate fides. Vale.

(2) ypocresis *C.* (5) iussitatione *C.*

LXIII.

(Brixiæ, a. 1453.)

De controversis nobilium de Nogarolis.

Ludovicus Fuscarenus Damiano Burgensi S.

AUDIVI controversiam clarissimorum fratrum de Nogarolis causarum esse maximam, quia de dignissimarum Blanzæ et Ysotæ exclusione agitur. Quod licet ex multorum relatione ad me delatum sit, credere vix possum, et si quid est, cupio finem litibus imponi, quia summa mea in familiam illam benivolentia frequentes illi et acerbissimi rumores me cruciant. Excludendæ sunt ex hæreditate virtutes illæ propter quas incolumis, florens et felicissima fuit. Atque cum filiis piissima genetrix, religiosissima soror esse non poterit, sine

Nr. 96. (3) controversis C. (5) controversiarum C. (16) genitrix C. (17) relliogissima C.

quibus nihil eis iocundum esse debet. Recedent, abibunt perditi labores, vanæ spes cogitationibus suis frustratæ fiunt. Quæ aures audire poterunt vocem illam: Vale, ingratissime fili (quisquis ille fuerit); a tene 5
unquam, quem genui, alui, ad maximam usque auctoritatem meis institutionibus nutrivi, putavi dotem mihi denegandam? Precario alenda sum quæ tibi amplissimum patrimonium mea cura, diligentia servavi et auxi, 10
pro quo me omnibus obieci, inimicitias non timui, multis me supplicem feci bona omnia propria communia faciens, non separans? Celebrabor tamen, etiam si calumniis vincar, quia te beneficiis superavi. — Quas ob 15
res non est mihi verisimile generosissimorum fratrum aliquem pati a matre, dignitatum genetrice, et sorore, cuius nominis gloria ubique versatur et habitat, divelli posse. Superi, quos religiosissime colunt, sanctas mulieres 20
semper sublevabunt; mortales quos clementissime iuvaverunt ipsas summo in honore habebunt; dignissime vivent, ubique flore-

(1) iocondum C. (14) calumnis C.

bunt. O urbem, o provinciam, o domum felicissimam, quæ has excipiet, si a suis expellentur, o prudentissimos viros, qui has ad se vocabunt, si a suis eicientur! Plura scribere non
5 possum, quia dolore impedior vereorque, ne dum pro mulieribus pie loquor in fratres dignitate, genere, industria ornatissimos, de me optime meritos severius dicam, quem potius in me ipsum furiose sævire videbis quam illorum
10 amicitiam violaturum. Et quamquam seditiones istas probare non valeam, irasci tamen pro mea pietate non possum. Tu exurge, aude, reprende quos diversos a recto sentis, antequam se diutius alat contentio. Nam ille
15 maxime tuam sententiam probabit, quem tu maxime coargues. Optabilius fuisset nunquam eos dissensisse, sicut dignissimos superiores suos fecisse audio, quoniam bonorum iudicio non modo lites, sed earum
20 conatus consilia maxime damnantur; verum postea quam cœptum est, non evagetur, non divulgetur, non exeat caristiam. Sapientissimi illi Romani convivium solemne cele-

(1) provintiam C. (11) mollaturum C. (15) sentiam C. (20) damnatur C. (21) ceptum C.

brabant, in quo nulli præter affines vocabantur, ut si orta esset discordia, inter suos sedaretur. Tu, qui generosissimæ familiæ deditissimus es, stude mentes componere afferque nobis omnibus optatissimum gau- 5 dium, sicuti nautis placidum mare ex aspero, serenum ex nubilo deus optimus præstare solet. Hoc te generosissimus compater Brunorius orat, hoc te Genevera clarissima, in cuius laudibus totiens merito vigilasti, quia 10 Brixiensium matronarum laus est et lux alma decoris; dolemus enim maxime illum (quisquis fuerit) omnia bona sua hac ingenti culpa sine causa deformare; si quid recte et prospere tua opera quieti illorum afferes, lauda- 15 bimus, post multa egregie facta non in ultimis præconiis tuis numerabimus. Vale.

(2) inter suos *bis scriptum est in* C.

LXIV.

(Brixiæ, die XX. mensis Octobris 1453.)

Dolet casum Iacobi Lavagnoli.

Ludovicus Fuscarenus Ysotæ Nogarolæ S.

FORTISSIMA eris, si in hoc Iacobi Lavagnoli sapientissimi et optimi casu, de quo ad me scripsisti, moderatione uteris, quia cum te proprietate mea consolari cuperem vel saltem dolorem meum declarare, verba mihi deesse cognovi et ad te sublevandam et ad incredibilem animi mei molestiam exprimendam, licet ab acerbitate luctus longius absim. Tantus enim nos dolor urget, quod neque Latina neque Græca idiomata sufficiunt. Amicus optimus, conpater dilectissimus mihi sublatus est, quem ego iam summo cum honore reditu-

Nr. 298. (3) rauagnoli C. (8) propietate C.

rum sperabam. Mæreor, affligor et assidua animi ægritudine discrucior. Perit absens a suavissima uxore, carissima genetrice, dulcissimis filiis, dilectissimis cognatis, florentissima patria! Quos dolores, quas ærumnas eum morientem horum absentia passum fuisse credis! Non possum fata, non possum astra, sicuti mæstissimam matrem clamare dicis, non crudelia appellare. Non possum Theofrasti morientis verbis non accusare naturam, quod cervis, cornicibus, quorum nihil interest, vitam diuturnam dederit, hominibus vero tam exiguam, ut tunc moriendum sit, cum frui vita discere incipiendum esset. Quam ob rem duram, sed necessariam mihi dixi sententiam. Expectabam summo cum desiderio Veronam videre ibique per aliquot horas summa cum voluptate commorari. Fugiendum censeo, ad iter omnium molestissimum, durissimum me convertam, dummodo urbem illam mihi tamen semper carissimam non ingrediar. Non servabo quæ cum suavissimis fratribus tuis pepigi, me confecto

(5) erupnas C. (12) victam C. vero] non C. (19) omne C.

magistratu apud vos futurum, quia omnis expectata iocunditas luctus esset. Non valerem sine multis lacrimis vos videre, quas lugere scio nec cito finem imposituras ex
5 scriptis tuis et maxima iactura credo. Non valerem loca illa conspicere, in quibus humanissimi viri sum frequentissima consuetudine usus. Non valerem infelicissimam familiam intueri, quæ tali parente orbata sit. Non
10 valerem in ædibus, plateis, templis, siccis ... sine iocundissimo comite versari. Ita mente concidi, ut quo temporis spatio me recepturus sim, nesciam, nec litteris pium implere officium potestas est nec unquam præstare
15 confido, quoniam consolatione me maxima indigere sentio, et cum aliquid de Iacobi nostri summa virtute ac dignitate scribere occurrisset, dolore impeditus sum. Parce igitur, si incomposita et tardissima scripta leges,
20 quia mei compos non sum et multas lacrimæ fecere lituras. Plura loqui et me continere non possum, quum Iacobus vir clarissimus ac dilectissimus Romani cæli gravitatem

(6. 7) humanissime C. (10) sicis C. (13) ne suam C. (22) qui C. (23) Romanis C.

vitare non potuerit, sicut timere se sæpissime dixit. Sorori optimæ et nepotibus me offeras velim, quicquidve hic et ubique ego atque omnes mei possunt, in tua ac sua potestate fore arbitremini. Vale, et quia secundum 5 Hieronimum suum tempus est loquendi, tempus tacendi, tempus ridendi, tempus flendi, parce, si mea manu scripta, quæ petis, ad te non deferuntur. Brixiæ tertiodecimo Kalendas Novembres. 10

(6) tuum C.

LXV.

(Brixiæ, a. 1453.)

Declarat adventum non futurum, solatio privatur.

Ludovicus Fuscarenus Ysotæ Nogarolæ S.

5 NESCIO quæ solatia tu prudentissima et afflictissima mente potueris expectare, cum mihi vitam acerbam putem tali amisso amico. Idcirco nedum credo, sed scio sororem tuam, matronam optimam, 10 quanto magis cogitat tanto gravius dolere, idemque te facturam existimo. Quare ergo me ad luctus vocas, qui vestris doloribus cruciabitur, languorque meus tibi potius afflictionem quam conspectus iocunditatem præsta- 15 bit? Quapropter patere, amabo, utriusque nostrum causa me in novissima sententia

Nr. 299. (3) solatem privatum C. (6) menete C. (8) talia amico. Idc. C. (10) dolore C. (12. 13) cruciabit C. (13) langorque C. (14) ioconditatem C.

permanere. Sin autem ex adventu meo aliquid voluptatis expectares, nedum lacrimæ, sed vita effundenda mihi esset, ut vestræ morem geram voluntati. Parces brevitati, si ex capellano nostro harum latore et ca- 5
sus et labores nostros cognoscere volueris. Vale.

(5) nostrum C.

LXVI.

(Brixiæ, a. 1453.)

Ponatur differentia inter eos qui serviunt deo quique Cæsari.

Ludovicus Fuscarenus Ysotæ Nogarolæ.

5 CREDO te laborum meorum misereri, quia in omnes semper piissima fuisti, et licet Iacobo Lavagnolo gravi teste et suavissimo comite honestissimi amoris nostri privatus decrevissem per aliam
10 viam in regionem nostram reverti, tibi morem gerere institui, ut non modo ex his qui ad te veniunt, sed ex me intelligas, sicuti tu optimam partem eligens reddidisti quæ sunt dei deo, sic me pro ea potestate quæ
15 mihi a senatu ad provinciam gubernandam data fuit, reddidisse quæ sunt Cæsaris Cæ-

Nr. 300. (3) quique] quod C. (14) me] ego C. potrate C. (16) dicta C.

sari. Hæc tamen officia plurimum distant. Ego periculis, errore, dolore Brixiensium commoveor, tu futuræ quietis expectatione delectaris. Ego ne fallar invigilo, tu acutissime intelligens in summa rerum cognitione 5 nutriris. Ego cautissime nequissimos observo, tu simplicissime sanctissimos colis. Ego vitam meam in somnia converto, tu gradibus, quod tibi divina clementia constituere dignata est, ad cælum tendis. Hic rerum om- 10 nium indigentia me doloribus vexat, apud te sancta omnia Isotam felicissimam reddunt. Ego corpori, tu animæ servis, summi dei mandatis inhærens bene factis vere gaudes. Ego cogitationes meas evanescere cognosco, 15 timeo superari, in administratione urbis meæ fidei commissæ falli, hostes provinciam ingredi; tu vinci non potes, quod amas non auferetur, et plures comites in divini regni successione habere gloriaris. Idcirco lætare 20 et compatiaris. Vale.

(17) prouintiam C.

LXVII.

(Brixiæ, a. 1453.)

Non decet virginem de nuptiis loqui.

Ludovicus Fuscarenus Isotæ Nogarolæ S.

MAXIME voluissem, quod Anthonius Cugnanus alias quam de nuptiis quæstiones ad te, sanctam virginem, accivisset, vel me, qui adulari nescio et displacere . . . . . censorem non constituisses. Nam ex tuis litteris cognovi te plurimum vereri ingratitudinis et superbiæ maculam, si nedum tacueris, sed tardius respondebis, et ego probare non possum vitam verbis non convenire. Tu nuptias re contemsisti, scriptis magnificas. Vestalis virgo damnata fuit, quia de matrimonii laude car-

Nr. 301. (3) debet C. (8) accidisset C. nesio C. (15) magnificis C.

men unum in cedula conpertum est. Ornatissima, gravissima est epistola tua, et si a clarissima Senevera sorore, quæ nuptias novit, edita fuisset, summa cum gloria foret efferenda. Sed dignissima et morigeratissima 5 ornamenta, quæ ipsam illustrant, sanctissimæ tuæ vitæ institutioni non convenirent. Si me audies, potius tacendo tibi et mihi, qui summa mea pietate timeo quicquid de te fingi potest, quam iudicando Anthonio 10 Cugnano facies satis. Litteras tamen tuas intactas his alligavi et eodem temporis momento remisi, ut possis vel tuo libero arbitrio vel meo fideli consilio uti. Vale.

(3) sororem C. (12) hiis C.

LXVIII.

(Brixiæ, a. 1453.)

De nuptiis virgines non disputent nec de sua vita sibi solis credant.

5 *Ludovicus Fuscarenus Isotæ Nogarolæ S.*

SINGULARI voluptate afficior, consilium meum tibi placuisse, quia quantum ingenio, quantum oratione efficere atque eniti possum, te laudibus 10 ornare et in hominum admiratione ponere studeo. Utor familiaritatis libertate, loquor, admoneo et totus semper tuus clementia tua persisto. Continentiæ bonum sequeris, perniciosa quæque et infesta fugias. Non decebat 15 meo iudicio virginem de nuptiis disputare, sed nec cogitare illam lascivientium morum libertatem, libidinosa convivia. Quis sibi crederet, si persuasiones et vota diversa

Nr. 302. (3) disputant C. (13) sequaris ?

perspiceret? Quid ex illis cogitationibus addisceres? Cognosceres, intelligeres quæ a tuo proposito plurimum distant. Corpore atque mente licet virgo permanes, verbis matrimonium non frequentes. Tu es inte- 5 grum atque incorruptum Christiani ordinis decus, et quanto sublimiorem gloriam expectas tanto maior sit tibi servandæ cælestis gratiæ cura. Et licet ex te multa intelligas, interdum tamen fideli aliorum sententia utere, 10 quoniam virtuti maxime proximum est suæ prudentiæ non confidere. Ad hoc te semper hortor et rogo, ut nunquam tibi explorata omnia esse putes, nunquam ita honori tuo prospectum, quin aliquid semper subesse 15 possit, quod a te verendum, tibi incognitum sit. Et in tua fama custodienda omnem curam, diligentiam adhibeas; optima enim cautio est et laudandus timor, qui malorum angelorum fugit insidias et ad salutis viam 20 perducit. Nec omnes volunt qui te diligunt. Nam cum in tua virtute ætatis nostræ decus eluceat, si gloriam tuam conservaveris, com-

(7) quante C. (9) te *om.* C. (13) chortor C. (14) putas C.

muni laudi eorum, qui hoc tempore vivunt, consules. Vale.

Capellanus noster veritus, ne me læderet, qui manus meas ab omni munere abstinere
5 consuevi, ex perdicibus tuis .... solemne convivium fecit, quod cum ex ipso intellexerim, ei pœnitentiam indixi, ut pro fide non servata totidem ad te carpionum paria deferat. Pollicitus est; quid credam, nescio.
10 Capellanus noster, qui pie perdices pauperibus dispensavit, ad te iocunde et liberaliter carpiones defert. Pœnitentiam roganti, satisfacienti clementer ignosce atque ipsum nedum venia sed amore dignum iudica,
15 summum rerum creatorem imitando, qui Ioelis prophetæ voce clamat: Revertimini ad dominum deum nostrum, quoniam misericors, pius, patiens et multæ miserationis. Vale.

(4) astinere C. (8) carpiorum C. (8. 9) differt C. (11) ioconde C. (12) Penitenti reganti C. (14) iudicha C. (15) immittando C.

LXIX.

(Brixiae, a. 1453.)

Accepit excusationes non scribentis.

Ludovicus Fuscarenus Isotæ Nogarolæ S.

Accepi excusationes omnes, nam 5
litteræ nostræ responsionem non
merentur, nisi ex longa vetustate
auctoritatem acquirent. Redime peccata,
ieiuna, ora, tace mecum, cum deo loquere;
quicquid agis laudo. A divina clementia non 10
errante diriguntur opera et cogitationes tuæ.
Fecisti tamen tua patientia et modestia,
quæ humanissime scripta nostra legis et ac-
cipis, me in dicendo liberiorem, postquam
remissiores dies illuxere, et ad insidias quæ 15
tuæ vitæ sanctimoniæ parari possent vigilan-
tiorem. Videt enim deus nos non solum

Nr. 303. (15) illicere C. (16) posset C. (17) Venit e. d. Nos C.

simplices fore, sed etiam prudentes, et si quid . . . . . tuis optimis moribus afferre potero, tuam de me opinionem non fallam; in sententiaque semper permaneas, cum
5 nihil mihi tua præsenti et futura gloria carius esse posset. Carpiones tibi gratos fuisse et non ad offerentis manus, sed ad meam in te mentem advertisse tibi gratias habeo. Vale.

(4) cum *om.* C. (7) munus?

LXX.

(Brixiae, a. 1453.)

Non potest secularibus negotiis deditus divina sequi.

Ludovicus Fuscarenus Isotae Nogarolae S.

PETIS per litteras tuas, ut desideriis 5
forensibus, publicis et privatis derelictis idem quod tu sentiam et optem, sicut amicos decet, quorum idem est velle et nolle. Maxime cuperem posse Christianis admonitionibus parere, sed longa 10
via, longum nobis maris iter arandum. Tu in sanctorum patrum exemplis versaris, ego nihil ago. Qui ad vivendi genus, quod sanctissime ducis, se accommodare studuerunt, per famem, sitim, frigora, nuditates, labores, 15
vigilias, ieiunia, orationes progressi sunt, in heremo, in claustro, in domo deo servientes,

Nr. 304. (17) hermo C.

sui obliti honores, divitias, clientelas, necessitudines contempserunt; hos sequeris, hos imitaris. Ego inter secularia negotia mergor et tunc in magistratibus optimus videor,
5 quando iurisconsultorum legibus me contineo. Tu virtutibus florens vanis laboribus nostris doles. Idcirco . . . . iudico officia mea silentio continere quam loquendo pietatem tuam movere. Nam quicquid con-
10 tra scripta tua conarer, potius contentionem quam veritatem pareret. Verba tua audio et laudo. Fateor potestates, fasces impedimento esse, tutiusque inter maris fluctuosissimas tempestates navigamus quam inter
15 principatus Christianam vitam ducimus. Sanctum est tuum desiderium. Sed quoad non cedo paululum publicis muneribus, ad quæ natus esse videor, et ad portandam domini nostri Yesu Christi crucem me converto?
20 Vereor ne labor noster irritus sit, quoniam asperam et insuavem domini viam fieri Hyeronimus ad Cellantiam scripsit vetitorum

(2) comptenserunt C. (5. 6) me contineor C. (9. 10) contra] quam C. (12) fasses C. (17) publiciis in uteribus C.

consuetudine, quæ si in altera parte transferatur, fiet iustitiæ semita lenis. Non movearis tamen, pia virgo, plus æquo angustiis nostris. Admonet me deus præsentibus suppliciis, increpat, incusat, ad religionem vocat, 5 ne deterius aliquid mihi contingat. Levissima sunt hæc et meritis meis longe suaviora. Sum verus animi mei iudex, quando ad me ipsum redeo et mentis nostræ latebras perquiro. Sæpe hæc est incredibilis 10 summi dei misericordia, ut corrigat et castiget, ne tarditatem supplicii gravitate compenset. Aspera medicina sanat. Tunc potissime creator laudandus, quando fallimur, quando non nostra sed ipsius voluntas fit in 15 cælo et in terra. Periret æger, si nihil sibi denegaretur. Verum quia te curæ . . . nimium cruciant, ponam ori meo custodiam, quoniam malo solus pati quam te, quæ mihi carissima es, nostris laboribus vexari. Satis 20 sit, quod tibi vim affers, te vincis, cibo, potu, somno, sermone abstines, vigiliis omnibus, ieiuniis . . . . . Sequere partem optimam, quam cum Maria elegisti, quæ non auferetur a te. Dominum dilige, sermones 25

eius serva attente et mansionem apud te faciet. Relega ceteras et nostras et omnium cogitationes, Christum et quæ eius sunt amplectere. Id solum bonum tibi persuade,
5 quod divinæ maiestati placere intelligis. Iocunditas nostra, quæ vix paulo momento durat, magna semper præcedente et sequente calamitate parvi fieri debet. Alexandri successio gravissimis periculis quæ-
10 sita instanti eversa est. Præteritis nostris contradictionibus non movearis, quibus finem imponere statui. Sit tibi Christus timor, caritas et amor. Illi soli te in tutelam, clientelam totam tradas. Divina speculare, cælestia
15 cognosce, in passione domini, in sanctissimis suis vulneribus, non in cupiditatibus nostris meditare. Hæc age, hæc cura, in his insiste, ut deus semper tecum sit. Miserere nostram procliviorem voluntatem. Quis scit, si tuis
20 orationibus, meis precibus convertetur dominus ad nos, ignoscet et se dignum servum reddet? Tunc idem sentiemus. Ad te sæpis-

(1) attente] a te non C. aput C. (6) iocunditas C. (11) contraditionibus C. (14) tota C.

sime scribam, neminem vacuum venire permittam, et quanto prolixiora erunt tanto iocundiora scripta nostra tibi fient. Gaudebo semperque gavisus sum religionem tuam crescere atque tuorum nemini in hoc beni- 5 volentiæ munere cedam, quoniam doctrinam .... et sanctimoniam, quam mirifice coniunxisti, mirifice diligo, et tanto ardore universam generosissimam familiam vestram colo, ut me iam non externum exi- 10 stimare possitis. Quæ omnia cum aliis uberius et magnificentius quam tecum loquor. Non possum tamen inter quotidianas contentiones et desperatissimos clamores, sicuti velles et fieri debere mirabili copia decla- 15 ras et subtilissimis rationibus probas, sequi saluberrima consilia tua, in quibus magis laudare summum tuum ingenium et optimarum rerum scientiam quam imitari cogor. Vale. 20

(10. 11) existimari C. (13. 14) contemptiones C. (16) et *om.* C. sutillissimis C.

LXXI.

(Brixiæ, a. 1453.)

Aliquando discedendum est a secularibus cogitationibus.

5 *Ludovicus Fuscarenus Ysotæ Nogarolæ.*

PROMISISSE me memini studia cælestia tua non impedire, sed cum litteras tuas de somnio legissem, non potui me continere, quia maxime mirandum est, 10 quod locus, tempus et cogitationes meæ Brixienses tibi Veronæ notæ fuerint. Igitur ut non somniasse, sed divinitus monstrata esse quæ scribis intelligas, rem ex ordine pandam, quo deo gratias agas, qui tanto te 15 honore illustrat, quod longissime absens motus, gestus et cordis secretiora videas, cuius solus deus scrutator est. Est quidam domus nostræ hortulus, quem vix ter universis his

Nr. 305. (18) ortulus C. univ. is C.

mensibus accessi, licet amœnissimus sit et hospitibus gratus. Forte pridie quam somniares litigantium clamore obrutus solus in non consuetum secretumque locum me recipio comites, arbitros, verba, familiam omnem aufugiens. Porticum frondea vite tectum ingredior, oblector latiori prospectu et herbarum viriditate, cælum suspicio, relicta dicendi et rerum gerendarum cura mente repeto, quibus tenebris ambulem, quibus tempestatibus fluctuem, quibus erroribus verser. Tandem sic inquio: Domine redemptor noster omnipotens, quando me cibo fraudabo, qui familiam omnem locupletissime nutrio? Quando hispida veste tegar, cui bissus et purpura undique superfluit? Quando ignes, ferrum, crucem pro Christo patiar, quem etiam non ægrotantem medicorum legiones circumstant? Quando fasces negligam, qui vix audeo sine exercitu exire? Quando in perpetua peregrinatione quiescam? Quando inter veritatis evertendæ ac virtutis corrumpendæ studiosissimos et ingeniosissimos ar-

(2. 3) somiares C. (5) arbitres C. (8) subspitio C. (11) versar C. (12) inquiens C. (15) ispida C. (19) circonstant C.

tifices securus esse potero? Quando deo prius gratus ero, si me mortales laudant, si hominibus placeo? Quando salvus esse potero, si ea cupio, sequor, probo, quibus
5 immortales perisse, perire ac perituros cognosco? Quando in tanta licentia studiorum diversitate potero freno maxillas continere? Multas præterea cupiditates et omnes vitæ meæ errores percurro, quæ longius enarrare
10 pudet, piget et tibi audire opus esse non censeo. Cogitanti quidem mihi et animi latebras perquirenti cælestis Ysota, dei opus, integrum decus et ornamentum Christianæ gratiæ, angelis dei æqualis animo occurrit.
15 Stomacus movetur, mihi irascor te tanto timore innocentissimam vitam ducere et me vix aliquando ad deum suspirare. Doleo me sæpissime capi, tibi vir haberi volo, te mulierem sexum et hostes vincere, divina intel-
20 ligere. Ad alios postea sanctos viros te derelicta me converto miseriusque defleo. Et cum diu in eisdem vestigiis facto ferme mentis et animi secessu a corpore perstitis-

(1) dei C. (3) placco C. salus C. (20) postia C. (23) successu C.

sem, conveniente innumerabili turba invitus discessi, quia raro utiliora cum aliis quam tunc mecum locutum me arbitror. Dixi breviter et quasi quiddam . . . . ex his scriptis habes pratum, habes flores collectos, et quo 5 pacto abs te nostri doloris causa fugiam? Quas ob res laudo et admiror te ita prophetasse, æmulor atque opto, quod sicuti Aristotilem Socratis gloria ad coniungendum dicendi præcepta cum philosophandi sapien- 10 tia impulit, Temistoclem . . . . . . trophea quasi dormientem excitaverunt, sic tua prævisa et reliquæ virtutes me meliorem efficiant. Credo autem, si in orando persistes, suaviora tibi superventura et omnes existi- 15 maturos Veronensibus falsam per me laudem additam non esse, cum discedens ipsos te novissima Sibilla honoratos dixi. Quapropter tua sanctimonia dominum deprecare, ne avertat faciem suam, sed misereatur nostri, 20 nec postules, ut te . . . quia meæ in te pietati nihil superaddi potest. Vale.

(2) disessi C. (4) quibdam C. (8. 9) Arstotilem C. (9) gloriam C. (11) *Excidit* Miltiadis. (21) *Lacunæ signa ego addidi; fort. excidit* plus amem.

LXXII.

(Brixiæ, a. 1453.)

Patienter tulit non scribendi votum.

Ludovicus Fuscarenus Ysotæ Nogarolæ S.

5 RETULIT mihi Nicholaus noster, quam suaviter atque familiariter eum suscepistis; si vobis oneri fuit, matris in te confidentiæ ascribe, quæ dilectum puerum alibi quam apud te tute hospi-
10 tari non credidit. Dixit præterea te vel voto vel iuramento firmasse per duos proximos hos menses ad nos non scribere. Acceptum habeo acceptumque fero, quicquid tibi gratum esse cognosco. Verum licet forte
15 pro divinis tuis cogitationibus aliquando suspicarer, quod nil nostra carmina curares vel interdum etiam fastidires et ideo tuis

Nr. 306. (9) aput C. (10) noto C.

litteris, nuntiis rogatus plerunque me continui, pluries penitus abstinere decrevi, ne a publicis muneribus divertendo, tibi non placendo bis facere stulte iudicarer. Nunquam tamen mihi persuadere potuissem te nobis litteras dare tanquam rem prophanam existimare aut munus deo gratum fore credere vovere a scribendo desistere. Sed quoniam tanti te facio, quod tua sola voluntas vim apud me legis habet, tibi morem gere; si summo deo, si tibi tacendo servire arbitraris, menses in lustra vel ætates converte. Sacra vestigia sequar, ne cælestia tua itinera per me impediantur. Pro summis tamen et incredibilibus tuis virtutibus te venerabor, colam, sicut Ursulam cum sociis sanctissimis... iure spero nisi cum supremus ille iudicii dies venerit. Tu interea me sæpe tuis piis orationibus adiuva, quando quidem ego semper te etiam invitam ad sidera deferre, tua scripta ad alios vel ad me prius edita videre non desisto. Hoc interdicere, hoc

(2) destinere acceruj ne C. (12) in illustra C. (16) cum] et C. iurre C. *Lacunæ signe ego addidi.* (20) scidera C. (22) *delevi* quam *post* interdicere.

vovere, hoc iuramento prohibere non poteris. Hoc Asulæ magno clarissimorum hominum consessu nudius tertius feci. Nam cum mihi oblatus esset libellus quidam, in
5 quo epistolæ multæ doctissimorum virorum scriptæ erant, ex omnibus tuam unam Sanctæ Crucis Reverendissimo Patri dedicatam pronuntiandam delegi, quam summo cum silentio et admiratione audiverunt qui aderant, et
10 omnis noster sermo ad te laudandam, ad te extollendam per multas horas conversus est plusque gloriæ ex sententiarum gravitate et verborum ornatu in te, quam in laudato Cardinali contulimus. Itaque diutissime tua
15 præconia in ore nostro commorata sunt, quo cibo nullus mihi dulcior aut suavior esse potest. Quas ob res scis, quocunque animo in me esse velis, ego in te optimo ero. Tacebo et loquar tecum iussus a pietate tua, honore,
20 admiratione; nulla prohibitio, nulla negligentia, nulla iniuria, nulla legum severissima potestate . . . . alienum reddet, quoad spiritus hos reget artus. Vale.

(3) conscensu C. (17) quoconque C. (18) esse *om.* C. (22) potestas me tibi alienum?

LXXIII.

(Brixiæ, a. 1453.)

Gratias agit, quod mutata voluntate scripserit, et scripta laudat.

Ludovicus Fuscarenus Yxotæ Nogarolæ S. 5

GRATIAS ago facetissimo militi Gaspari Sabello, cuius remissiores preces pro me plus apud te potuere quam ardentissima nostra desideria, quæ nescio quo fato singulis horis minoris fieri 10 quam mea in te pietas exposcat ægro æquo tamen animo patior. Vidi orationem luculentam tuam, licet humanissime scribas, illustri nomine dignissimam. Hanc Reverendissimus Præsul Veronensis, si summa gloria delecta- 15 tur, si eam veram existimat, quam Cicero familiaris tuus laudem recte factorum magnorumque meritorum consentientem bono-

Nr. 307. (8) aput C. (14) reverendissimum C. (18) bonarum.

rum incorruptam vocem bene iudicantium de excellente virtute dixit, omnibus præconiis, omnibus insigniis, omnibus triumphis, omnibus pontificatibus suis ante-
5 ponet et te clarissimamque Nogarolarum familiam sicuti petis et rogas dextra et sinistra amplectetur ac firmissime tenebit. Ego vero nullus tuum summum dicendi genus admiror, quia eo mea de doctrina et ingenio
10 tuo crevit opinio, ut nihil unquam viderim, audiverim, legerim, quod a te superari posse non credam. Laudes vero gloriosissimi Hieronimi, quia locupletissimam illam segetem tua falce resecatam optime censeo, apud
15 alios vulgatas, quando nostri iam diu oblita memineris, quando me tanto honore dignum iudicabis, libentissime legam. Si tamen te in tuis ad nos scribendis litteris labor, in nostris legendis, quas si sine super-
20 biæ macula negare non valeo brevissimas præter consuetudinem et voluntatem meam efficere semper conabor, fastidium gravat, sicuti frequentissimæ Damiani Bur-

(5) Nogariolarum C. (8) nullum C. (14) falace C. resectam?

gensis tui litteræ testantur, malo vota mea omnia evanescere quam te ulla molestia gravari, quia et edendo et retinendo tua scripta et legendo et negligendo nostra tunc demum rem mihi iocundissimam te facere 5 crede, quando tuæ morem geris voluntati. Vale.

(3. 4) tua et scripta legendo C.

LXXIV.

(Brixiæ, a. 1453.)

Non sunt semper servanda promissa. Laus orationis Hieronymi.

5 *Ludovicus Fuscarenus Yxotæ Nogarolæ S.*

TANTA dicendi vi iniustissimam causam tueris, quod me in bona deficere necesse est; itaque cedo tibi omnia, dummodo non credas me redeun-
10 tem obligatum fore persolvere quod semel tibi, matri et fratribus pollicitus sum. Scripta vero tua edita et data mihi discedenti dum iam futurus successor Veronensem urbem ingrederetur scis omni caruisse fide. Itaque
15 vel soluti debiti iure vel quia, si te in honore non haberem, possem veteri proverbio dicere fidem infideli nec dari nec servari, vel quoniam alia quædam nos necessitas urget, me

Nr. 308. (10) per persolvere C. (12) dissedenti C. (14) ingr. sis C.

interpellare non potes, ne tibi aliquid a me negatum arbitreris, quod merito exposcere potueris, qui omnia nostra virtutibus tuis summis toto corde dedicavi. Vidi postremo quæ de beato Hieronimo pie, docte et sancte 5 scripsisti. Et postquam meum vis fidele consilium efferre, ut iubet natura, censeo virginalem orationem maximo splendore illustratam pro virgine illo ubique . . . editam, de quo summa cum gloria scriptum est, nullum ho- 10 minum scivisse quæ Hieronimus ignoravit, quod qui non laudabit, se invidum, inimicum aut rerum omnium ignarum fateatur necesse est. Ego enim hoc te certe scire volo, nullum fore vel iudicium meum in hoc demon- 15 strativo genere, in quo non inficior me paululum esse versatum, vel nimio laudantis et laudati amore insanire, vel nihil par aut simile orationi tuæ invenire, cum non solum alios, ut sæpe consuevisti, sed te ipsam coram 20 devotissimo illo patre, cuius nomen scire cupio, viceris. Vale.

(6. 7) f. conscilium effer ut iubet nā censceo C.
(19) rationi C.

LXXV.

(Brixiae, a. 1453.)

Victus eloquentia cedere cogitur.

Ludovicus Fuscarenus Yxotae Nogarolae S.

5 DATÆ sunt mihi hesterno vesperi litterae tuae, quas totiens legi, quod proxima nocte somnum oculis non vidi meis; ita mentem meam distraxisti, ut quid acturus sim nesciam. Hinc me rationes 10 impellunt, hinc pietas tua, quam omni auctoritati et dignitati antepono, et carmina, quae nedum constantissimos viros allicerent, sed montes transferre, flumina et solem ad ortus suos redire cogerent. Statueram, sicuti scripseram, 15 vestro non uti hospitio. Nunc in dubio sum. Apollo consulendus esset. Si tuae morem gessero voluntati, eloquentiae tuae tribues, cui

Nr. 309. (5) externo C. (8) distrasisti C.

respondere non sufficio; si secus fecero, cum rationem intellexeris, amicitiam nostram læsam esse non existimabis et pro summa tua sapientia animum tuum vinces, tu quæ cetera vincis. Si tamen verbis tuis crederem, relicta provincia, urbe, magistratu ad vos advolarem nec vererer ex contentione inimicitias, quoniam si in armorum certaminibus, in gladiatorio ludo qui ferro inter se pugnant benivolentiam non amittunt, quanto magis id esse debet in certaminibus litterarum, in quibus non ferro sed ingenio dimicatur. Nec mireris, si quando locuturus sum magna, id non libenter facere soleo in multitudine. Quoniam sicut difficile est citheram multarum ignotarum cordarum ferire et sono audientes non lædere, sic ferme impossibile est laudate inter illos dicere, qui ætate, institutione, votis varii sunt. Iudicatur enim plerumque non ex dicentis ratione, sed ex audientis sensu. Si quid tamen certius deliberavero, vobis notum faciam; tu etiam, si in sententia permanes, de lite nostra sicut scripsisti agenda,

(5) crederam C. (6) ad nos C. (13) loquuturus C.

mihi declara, quoniam certitudo illa plurimum apud me momenti habitura est, cum nihil magis optem nec gloriæ ascribi . . . pluries falso tibi credidisse. Sed simplicitate et
5 benivolentia læsum restitue, quoniam fallere credentem non est operosus amicum iste labor. Vale.

(6) oppressus C.

LXXVI.

(Venetiis? a. 1453—54.)

Petit, ut accipiat grata parva munera et preces deo ferat.

Ludovicus Fuscarenus Yxotæ Nogarolæ S. 5

LICET aliquando . . . crediderim te nostra munera suscepturam et nihil magis optem quam me tibi deditissimum et gratissimum esse, vereor tamen, quod huic vasculo impræsentiarum lo- 10 cum non relinquas, quoniam in dies ita augetur religio tua, ut prophana omnia dedigneris et negligas. Non possum talia polliceri, qualia tibi collata fore mihi demonstrasti; non sunt hæc illis paria quæ ornandi altaris tui 15 causa donata sunt. Memoria repeto cellulam illam tuam, quæ undique sanctitatem redolet. Cogito sacras reliquias manu nostra tactas...

Nr. 310. (18) reliquia C.

vix prospicere audebam. Pono ante oculos picturas illas, quæ sanctos referunt, vela arte elaboratissima crucibus, beatorum imaginibus insignita, quibus aqua te sancta benedicis,
5 et cetera omnia nostris longe anteponenda, quæ mihi paradisi degustationem quandam attulisse visa sunt. Plurima tamen digniora nos latere voluisti, et licet magnanimi fratres tui omni me luxu et apparatu regio honora-
10 verint, tu sola rogata vehementissime nunquam exorari passa es, orationes et litteras tuas non aperuisti nobis, nisi eas quæ vulgatissimæ sunt, sicuti qui in locupletissima et refertissima domo hospitem vel indignum vel
15 non gratum admittunt, non explicata veste, non proposito argento neque tabulis et signis propalam collocatis, sed omnibus rebus magnificis reconditis, vilissimis, abiectissimis et his quæ in cotidiano usu sunt appositis.
20 Quas ob res vereor, ne sicuti tua illustria continuisti sanctissimis institutionibus maxime intenta, sic hæc nostra vulgaria vel renunties vel tibi missa esse pigeat. Verumtamen, quia

(3) laboratissima C. (10) uhementissime C. (12. 13) vulgatissima C. (19) cotiduano C.

audivi consumpta esse pauca illa medicinalia aromata, quæ a nobis habueras, et spiritualia etiam sine temporalibus diu esse non possunt, te oro, ut quæ a me tibi dari possunt, accipias nec quid detur, sed qua mente, consideres. Quod si facies, nulla tibi gratiora munera erunt. Apud etiam dominum nostrum Yhesum Christum, quem tu diligis et imitaris, minima pie data magnificantur et sordida illustrantur. Mulieris obolum regum tesauris anteppositum fuit. Artaserses, rex Persarum, aquam manibus a pauperrimo oblatam subridens accepit et donatorem patera aurea et denariis centum donavit, regium existimans parva iocundissime accipere et magna liberalissime dare. Cuius exemplo tu hæc Aegiptia condimenta læto animo suscipe et cælestes tuas preces, quæ omni auro mihi optabiliores sunt, pro nobis offerre non graveris redeasque ad tuam in me pietatem, ut me in caritate constantiorem serves. Licet nulla offensa moveri possem, quoniam talia sunt meæ in te benivolentiæ iacta semina, tales

(4) horo C. (8) inmitaris C. (14) denarios C. (15) iocundissima C. (18. 19) obtabilliores C.

fixi radices, quod nulla tua oblivione, nulla iniuria labefactari poterunt, patiar quoad meæ mentis integritatem percipies, quia hæc erit gloria mea, ut me aliquando cognoscas. Et certe scio, quod ingrata piissimi, honestissimi et perpetui mei in te amoris esse non poteris, quæ in alios pro minima quadam benivolentiæ significatione, naturæ bonitate sanctissimarum oblationum tuarum liberalissima esse consuevisti. Quod volo est, ut sicuti ego tua religione maxime confido, sic precibus non vulgaribus me adiuves, quia apud iurisconsultos nostros me legisse memini, quæ singulari nota digna sunt, nisi singulariter notentur, videntur esse neglecta.

(1) fixes C. (3) percipiet C. (7. 8) benivolentia C. (9) sanctissimorum C. (13) aput C.

LXXVII.

(Veronæ, a. 1451 ?—56.)

Matthæus Bossus Isotæ Nogarolæ S. P. D.

CÆTERA tuæ dignitati atque virtuti debere me fateor, sancta et vene- 5 rabilis in domino soror, sermonem vero et aspectum tantum excipio, si quidem ego vir, tu autem fœmina es, quæ

Descripta est hæc epistola ex libro a Platone de Benedictis Bononiensi «in alma civitate Bononiæ anno salutis MCCCCLXXXXIII. decimo tertio kallendas Augustas» impresso *(C)*, cui hic titulus præfigitur: «Quæ hoc volumine bentur varia diversaque et longa ex dispersione collecta quo brevi sub titulo subiiciantur ac nomine Recuperationes Fesulanas lector agnoscito.» Extat etiam in libro in Abbatia Fæsulana pridie Kal. Apriles anno incarn. verbi divini MCCCCLXXXXII. satis mendose impresso, qui «Matthei Bossi Veronensis canonici regularis diversarum rerum epistolæ varietate pondere copia devotione fructu iucunditateque refertæ» inscribitur.

Titulum ego addidi; in edd. hæc epistolæ præmissa leguntur: Ad Isotam Nogarolam virginem Christi de parce cauteque versando. Epistola III.

quanto vinculo Christi et sanctis tuis moribus, quanto et singulari doctrina et vetere gratia mihi et admirabilior et amicior es, tanto utique fragilior et infirmior videri mihi debet præsens tecum et affatus et mutuus oculorum contuitus. Illud enim adiutus a domino lego timidus semper: Melior est iniquitas viri quam bene faciens mulier, quem locum sic accipio, ut minus nociturus dicatur vir sane nequam quam mulier sancta, si utrique sæpe communices. Hæc quidem inter se ubi conspirant virtus et forma, stupor et sexus, appetendi irritamenta congeminant ac vehementius afficiunt quam simpliciter unum. Sed et spiritualis amor affectiones quandoque et sensuum motus mollius rapit et tandem improvidos flectit ad nefas. Hoc parvulus non verebar. Ad te e ludo scholaque ibam, tecum quoque et cum nobilissima ac sapientissima tua matre nugabar librariaque in tua cella et assidebam, ubi dulces hymnos et psalmorum numeros te suave canentem lætus audiebam. Nunc autem ad religiosam vitam habitumque conversus duxi

(3) amicicior *edd.*

mea quantum fragilitas potest (atque utinam me sic adiuvet deus) de fœmina non cogitare, ne amice quidem versari, a qua captos innumeros et eos profecto sapientissimos atque sanctissimos lego. Tractatur periculo 5 manibus pomum, quod si momorderis odoratusve fueris, est capitale. Divus Hieronymus, quem tu semper habes in manibus vel propter eloquentiam, quæ te delectat, vel quod plura quam cæteri nostri ad sanctas 10 virgines scripsit: Experto credite, inquit; nihil est periculosius viro quam mulier, nihil mulieri quam vir; uterque palea, uterque ignis. Et rursum: Non credo viro, qui a spectaculis mulierum illæsum se dicat eva- 15 sisse, quando David sanctissimus regum visa Bersabee se lavante raptus sit ad libidinosum incendium. Qui et fateri intestinos suos ignes medullarumque calores dum in heremo ageret neque erubuit Eustochium instituens; 20 cuius tu verba, Isota, sæpe legisti. Queri itaque desine et me rusticitatis culpare, perdilecta et prudentissima in domino soror, quod ad te non diverto, ut plerique servi

(13) pallea C.

venerabiles dei. Non omnes uno sensu ac spiritu vivimus. Diversa sunt prælia, diversi agonistæ in una et sancta Christi militia. Alii celeres, alii statarii, alii centuriones, alii
5 gregarii. Ego iuvenis, ego vas fictile, ego de terra terrenus; illi maturi, illi columnæ, illi et forsitan impassibilitatem adepti et sensuum lora in potestate tenentes. Etenim Paulum intueor post raptum tam beatum in
10 cælum adhuc dimicantem et in membris suis legem voluntati contrariam sentientem. Expectanda nobis fracta canicies, si et satis quoque secura ea est ambobusque contigerit. Quod si nos illa fefellerit, expectanda
15 denique ventura securitas ipsa gloriosaque immortalitas, quando quod satum est in corruptione surget in gloria, quando sexibus nostris vitia detrahentur natura servata, quando a fœditate atque rubore nova creatura fiet in-
20 munis. Interim vero ego te, soror, fiducia charitatis hortari commonereque non vereor, quantum ipsa potes imprimis secretum ames et non quæri a viris vel optimis molestius

(23) queri C.

feras. Tuum ego ingenium, tuam doctrinam, decus splendoremque intacti corporis tui, abstinentiam, frugalitatem, orationes, cæterasque virtutes semper venerabor tuas et insculptas mente gestabo. Te in his et has in 5 te ad magnam dei laudem meique ædificationem perpetuum admirabor, in qua revixisse mihi plane videtur prisca illa virginum dignitas, quas illustres sempiterno præconio decoravit antiquitas. Sic quoque editiones 10 et epistolas lego tuas, ut nihil profecto tum minus quam de fœmina cogitem; ita me tenet earum dignitas et cum lepore et eloquentia pondus. Atque nuper altercationem illam tuam cum Aluisio Foschareno patricio Veneto 15 et urbis nostræ Prætore, viro præterea optimo atque gravissimo et egregie litteris culto, qua contenditur utrius peccatum gravius extiterit, patris Adæ an Evæ, et in qua tu Evam, ille Adam tuetur, cum voluptate 20 sancta perlegi mihique illud admodum placuit, quod recenti cum theologia, quæ ornatu nunc caret, tu cultum eloquentiamque

(10) orationes? (16) preterea Ç.

iunxisti. In his talibus tecum sum eroque semper. Tu æque meis cum scriptis, benigna et sanctissima soror, præsentiam compensa corpoream ac pro me orare non desine. Vale.

LXXVIII.

(Romæ, a. 1451—52? 1457—62?)

Andreas Contrarius Venetus clarissimæ Isottæ Nogarolæ S. P. D.

Facilius intelligi quam explicari potest, Isotta illustris, quam acriter ad te amandum permotus sim, postquam proximis diebus Romæ præter opinionem pervenere ad manus meas nonnullæ tuæ epistolæ dignæ profecto expec- 10 tatione tua, quibus lectis avidius facile perspexi, quod iam pridem, credo Venetiis vel Patavii, complures magni et illustres viri studiosissimi rerum tuarum non sine tua ingenti laude et gloria de te mihi narrare 15 solebant. Ego autem etsi tantorum doctis-

Extat in unico codice bibliothecæ publicæ urbis Senarum *(S)*, D VI. inf. signato, sæc. XVII.—XVIII. (16) tanctorum *S*.

simorum et eloquentissimorum hominum in omni re amplissimæ auctoritati minus repugnandum esse censebam, tamen, ut id quod sentio in præsentia dicam, nisi proxime de
5 te, hoc est de ingenio, eruditione, eximia in omni genere litterarum præclaraque doctrina libero digna atque tua, ut sic dixerim, eloquentia grandi, eleganti ac venusta ego ipse periculum fecissem, equidem vix mihi
10 id persuadere potuissem, non quod fieri non possit, mea Isotta, fœmina nata cum sis, non equidem ad ocium, sed negocium te tantum ingenio, industria, cura, labore, diligentia, studio, assiduitate maxima circa hæc
15 studia optimarum artium potuisse proficere, ut præter modum profècisti, quum præsertim minus me fugiat, priscis temporibus pæne innumerabiles tui similes claras et illustres fœminas extitisse, quæ quidem plurimum
20 ingeniis ac dicendi studio flagraverunt. Argumento sit omnis Græca pariter ac Latina historia, quæ, ut ipsa optime nosti, plurimis variisque est exemplis referta. Sed, proh dolor! cum sæpenumero mecum ipse cogi-
25 tarem miserrimam atque detestabilem con-

ditionem temporum nostrorum, quibus manifestum est, non solum tanquam quodam in luctu ac squalore tabuisse atque omnino negligentia ac desuetudine quadam oblitteratam esse eloquentiam, verum etiam Latinitatem ipsam tam remisse et languide a sexcentis iam annis se habuisse ignoratione et inscitia Græcarum litterarum, ut penitus extinctam iuniorum industria cum summa eorum laude et gloria tandem faventibus astris in lucem revocarit, hinc est quod fortassis mirum mihi videbatur, cum per tot annorum curricula vel circa illorum studia, qui gramatici vocantur, vel rhethoricen vel dialecticen vel geometricen vel musicen vel in astrologia vel philosophia vel theologia vel iure pontificio atque civili aut denique in exponendis bonis auctoribus tot, qui vulgo viri doctissimi et quasi quædam non parva litterarum lumina habiti sunt, non dico ab elegantia et dignitate, sed proprietate Romanæ linguæ, ut in eorum scriptis libris conspicari licet, præter modum abhorruerint, fœminam vero

(4) obliteratum S.

huius nostræ ætatis primariam vel ab atavis regibus editam vel a diis immortalibus, ut arbitror, oriundam, non modo puro, facili, Latino, suavi ac lucido uti sermone, sed
5 summorum hominum iudicio sale et lepore quodam ac politissimis sententiis iam tantam dicendi facultatem esse adeptam, ut cum vetustate ipsa certare sine dubio posses. Quare ubi ego animadverti facile, suave, ele-
10 gans, splendidum, acutum et copiosum tuum id dicendi genus, facere non potui plerisque etiam conterraneis tuis suadentibus, quin e vestigio nonnihil darem ad te litterarum mearum, non quod is, mea Isotta, sim Del-
15 phico (ut sic dixerim) oraculo dei instructus, cuius doctrina vel eloquentia tanquam præcipua et singularis ac viri disertissimi magnopere expeti debeat, abs te præsertim e cœlo, ut puto, ad nos demissa, quæ quidem,
20 quoniam egregiam dicendo es laudem assecuta, nihil nisi te dignum, hoc est amplum, regium, elegans, splendidum, magnificum et generosum semper soles intueri; sed ut

(1) attavis *S.*

magis ac magis intelligeres, quando facere non possum, quin te eximio et singulari amore ac charitate maxima prosequar, quanti te facerem, qui meus erga te esset animus, postquam re ipsa didici et cognovi pæne 5 divini magnitudinem ingenii tui. Nempe ut paucis intelligas quid de te sentio, quotiescunque tua plena hilaritatis, humanitatis et lætitiæ scripta lego, plurimum vereri soleo pro maxima elegantia, cuius meo iudicio pro- 10 prie es studiosa, suavitate, ingenii præstantia, claritate ac nitore sermonis, rerum atque verborum copia, facilitate, acumine, an magis sententiæ ornatissimis verbis an verba ipsa sententiis illustrentur. Taceo de inventione 15 ipsa, qua nihil pulcrius, nihil luculentius, nihil accomodatius; omitto elocutionem, qua nihil ornatius, nihil dignius, nihil venustius. Postremo totius operis dispositionem, prudentiam, gravitatem, memoriam, cogni- 20 tionem atque usum rerum plurimarum, exemplorum copiam tam Romanorum quam exterarum gentium, quibus rebus fit, ut nemo sit, pace omnium dixerim, aut Isotta, quæ quodammodo humani ingenii excessit mo- 25

dum, dignitate sublimior aut gloria clarior
aut auctoritate gravior aut humanitate poli-
tior. Iuvat certe, Isotta clarissima, et decet
de te magnifice loqui, quum non iniuria sis
5 suavitate ingenii tui, probitate, virtute, inno-
centia inter illustres vel mares vel fœminas
aggreganda, quum sis non modo amplis-
simo generi tuo atque patriæ decus, sed
etiam totius Italiæ ornamentum atque huius
10 seculi splendor, præsertim quando ea quæ
de te scribo ita vera sunt, ut orbis terræ
iudicio comprobari possint. Ego sane quia
te unice diligo, amo et observo, quantum
viribus eniti, consilio providere, auctoritate,
15 si qua est, monere potero, scito posthac, ut
satisfaciam et virtuti et officio, semper tuæ
dignitatis fautorem atque omnibus in rebus
me tibi amicissimum fore. Nam quum rara
sit avis in terris, ut inquit ille Satyrus noster,
20 nigroque simillima cygno, quis est, dii immor-
tales! adeo barbarus ac rerum imperitus, qui
lubens non colat, laudet, admiretur obstu-
pescatque ingenium tuum? Quippe ut paulo
altius repetam, si quia operum atque artifi-
25 ciorum initia Minervam tradidisse memoriæ

ac litteris proditum est, si omnes vel fatiloquas, ut inquit Livius, vel, ut auctor est Terrentius Varro Romanorum eruditissimus, fœminas vates, quas veteres Sibyllas Aeolica lingua vocitarunt, si Carmentam Evandri matrem, quam quidem quasdam Latinas litteras invenisse plurimi tradunt, si Aspasiam, quæ per Socratis tempora floruit, si Lesbiam Sappho, cui propter poesim redimita sunt tempora lauro, si Corneliam Gracchorum matrem, cuius doctissimus sermo in posteros est epistolis traditus, si Lælii filiam, quæ loquendo præ se tulit paternam elegantiam, si denique Q. Hortensii filiam, cuius luculentissima oratio teste F. Quintiliano apud triumviros habita olim legebatur, in sexus honorem tantopere admiratur, celebrat, amplectitur et colit vetustas, quid de Isotta summo genere nata, omnium optima doctissimaque, approbantibus omnibus, ut sic dixerim, diis hominibusque sentiundum est, cuius virtute, pudicitia, morum probitate, eruditione eximia in omni genere litterarum præclaraque doctrina libero digna, acumine, generis splendore, forma, magnitudine animi,

integritate atque linguæ elegantia nihil est dignius in rebus humanis, nihil maius, nihil nobilius, nihil præstantius? Quare hoc tibi profiteor atque polliceor, quod paulo ante
5 dixi, quoad vixero, pro mea virili ubi adero et publice et privatim, quemadmodum debeo, iure optimo invitatus tua egregia præclaraque virtute tuam famam et dignitatem tuebor. Neque enim, mea Isotta, quoniam mirum in
10 modum ad te tanquam ad amorem et delicias generis humani animum adieci, aliud in futurum facere potero, nisi plena manu, ut Ciceronis verbis utar, nisi ingenue, nisi ornate, quantum in nobis erit, tuas egregias
15 laudes dicendo, scribendo in astra tollere. Sic enim postulare videtur incredibilis meus in te amor vel mirifica quædam observantia. Sane his fere diebus, quibus opportune liber epistolarum tuarum mihi oblatus est, cum
20 in corona doctissimorum et eloquentissimorum hominum subortus de te esset sermo, inter loquendum, ut sæpe fieri solet, ita acrimonia ac vehementia quadam de maximis atque amplissimis tuis laudibus dicere visus
25 sum cunctis qui aderant audientibus, ut

nihil amantius nec honorificentius neque uberius ab Andrea tuo dici potuerit. Quare pro tua eximia divinaque virtute nunquam obliviscar me maxima et plurima, immo omnia tibi debere. Et ne longius mea eva- 5 getur epistola, reliquum est, mea Isotta, ut mihi in amore respondeas, nam, ut inquit M. Tullius, nihil minus hominis videtur, quam non respondere in amore iis a quibus provoceris. Quare me diligas oro hocque 10 proprium ac tuum esse velim existimes. Postremo quia ita suaviter, diligenter, officiose atque humaniter scribere soles, incredibile est, quantum ego et voluptatis et fructus cepi ex iis tuis iucundissimis litteris. 15 Abs te igitur, mea Isotta, licet inter nos nulla familiaritas intercedat nec te de facie quidem noverim, tamen humanitatis iure peto et postulo, ut non solum his respondeas litteris, sed etiam sæpius ad nos scribas, et si 20 rem nullam forte habebis, quod in buccam venerit, scribito. Si hoc feceris, mea Isotta, ut te pro tua incredibili humanitate facturam

(15) cœpi C. (19) iis C.

spero, profecto cui plus quam tibi uni debeam, habebo neminem. Vale, mea Isotta, tibique persuade te a me perstrenue diligi et amari. Romæ, pridie Idus Quintiles.

LXXIX.

(Veronae, Kal. Augusti a. 1459.)

Sanctissimo Domino Nostro Papæ Pio Secundo.

Gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

MIRATUROS plerosque ac me accusaturos non dubito, pater beatissime, quod ego mulier tibi ignota sicut stipula ante faciem venti balbutiens, verba potius frangens quam proloquens ad te principem, seculi nostri præcipuum lumen ac decus, regis nostri Iesu Christi successorem, scribere ausa sim, cum multi excellentiori dignitate collocati, summa eloquentia præditi initio dicendi animo commoveri soleant. Quod Demostheni, cuius melle dulcior erat oratio, Theophrasto

Extat in unico codice Ottoboniano nr. 1677, sæc. XV. (C), ex quo officiose descripsit A. Mau.
(12) quom C.

philosopho, Ciceroni, cuius eloquentiam universus decantat orbis, apud clarissimos reges oraturis evenisse testatur antiquitas. Semper equidem, inquit Cicero, magno cum
5 metu dicere incipio, quotienscunque dico, totiens mihi videor in iudicium venire. Me vero, sanctissime pater, licet sanctitatis tuæ magnitudinem atque splendorem conspiciam, relevat divina miseratio, quæ sperantibus in
10 se nunquam deesse consuevit et infirmitatem hanc meam atque imperitiam corroborat et illuminatio mea est; quæ docuit et docebit et manum hanc meam ad scribendum, linguam, ut quondam asinæ Balaam, diriget
15 ad loquendum. Invitat illa tua singularis ac prope divina clementia, benignitas et mansuetudo, quam universa decantat ecclesia et onus hoc gravissimum viribus meis impar læto animo suscipere hortatur. Erit igitur
20 clementiæ et humanitatis tuæ, eius, inquam, quæ mihi hanc scribendi præbet audaciam, hasce litterulas subrusticas, inopes, verecundia dealbatas, immo me in eis benigne sus-

(6) videtur C. (22) subristicas C.

cipere et egenis larga subvenire manu, ne pietatis et miserationis ingenitæ exuas viscera, immo cum auctus sis dignitate, benignitate quoque in dies auctior fias, et in hoc tam læto, tam festivo, tam celebri ornatu 5 hymnum hunc angelicæ exultationis ex nostris visceribus pronuntiatum audire. Artaxerxem regem Persarum legimus, qui non minus putabat regium et humanum esse parva benigne et prompte accipere quam 10 magna dare, deambulandi gratia equitantem, cum illi homo vilissimus et pauperrimus obviam factus esset (mos erat Persarum regem cum muneribus salutare) aquam ambabus manibus e fluvio ab illo acceptam 15 iocunde suscepisse ac subrisisse promptitudinemque dantis potius quam magnitudinem dati mensurasse, cum nullus adeo ferreus, adeo extra se positus sit, ut non moveatur ac non ex intimis omnipotenti deo 20 gratias referat et illud Daviticum tota cum admiratione pronuntiet: Quam magnificata sunt opera tua, domine! Hæc dies, quam

(18. 19) fereus C.

fecit dominus, exultemus et lætemur in ea. Nemo ab huius celebritatis participatione secernitur. Una cunctis lætitiæ communis est ratio! Omnium una vox gaudentium, quo-
5 niam ecce tempus acceptabile, ecce dies lætitiæ et iubilationis præ omnibus diebus vitæ nostræ, in quo fidelis dominus in verbis suis et sanctus in omnibus operibus suis aperit manum suam, exultat et
10 gaudet universus orbis et in hac celebritate cum hymnis et canticis devotis et dignis iubilat præconiis, pueri innuptæque puellæ sacra canunt. Nullus tam hebes est, tam rationis expers, ut non intelligat, quam
15 multos, quam lætos, quam uberes fructus paritura sit sanctitas tua, cum ineffabilis misericordia salvatoris tot gratiarum cumulos in te adunaverit, te præ ceteris ornatum insigniis dignitatum nullo externo aut ter-
20 reno adiumento, sed succrescentibus meritis per gradus ascendentem divinæ providentiæ nutu ad huius pontificatus apicem perduxerit, ut de te merito dicatur: Hic est flumen aquæ

(16) quom C. (18) tæ præ C.

vivæ, splendidum tanquam cristallum, procedens de sede dei in medio ecclesiæ et ex utraque parte eius lignum vitæ afferens fructum tempore suo, cuius ligni folia sunt ad gentium sanitatem. Vir iste in populo mitissimus apparuit et deo dilectus et hominibus, nunc pro ecclesia sancta vas vere admirabile omni ornatum lapide precioso opus excelsi. Lætatur ecclesia talis sponsi copulata amplexibus, præ gaudio cantat: Sub umbra illius quem desiderabam sedi et fructus eius dulcis gutturi meo; læva eius sub capite meo et dextra illius amplexabitur me, cum ipsam tanquam verus sponsus et non adulter, tanquam verus pastor et non mercenarius in sinu tuo receperis, omnis tua voluntas, omnis actio, studium denique et conatus omnis ad conservandam apostolici throni supremam aciem conversus sit et pro ea nedum terrenam substantiam, sed animam ipsam effundere paratus sis. Quod proprie regium est, divo attestante Augustino: Hoc, inquit, ad reges pertinet, ut paratam temporibus suis velint ecclesiam matrem suam, de qua spiritualiter nati sunt.

Rex Nabuchdonosor post sacrilegam idolorum servitutem divino convictus miraculo pium edictum promulgavit, ut quicunque in deum Sidrach, Misach, et Abdenago blas-
5 phemiam dicerent cum domo sua penitus interirent. Tu vero, qui vicarius Christi verus es, hanc immortalitatis gloriæ materiam divino afflatus spiritu obviis, ut aiunt, suscipe manibus. Exurgat sanctitas tua extendatque
10 brachium potentiæ suæ in auxilium sponsæ suæ contra hanc adulteram et pravam generationem, cum videas Christum redemptorem nostrum tam immaniter ab ipsis blasphemari. Abhorreat sanctissima puritas tua hos nepha-
15 rios et sceleratos. Nam secundum apostolum quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? quis autem consensus
20 templo dei cum idolis? Propter quod exite de medio eorum et separamini, dicit dominus, et immundum ne tetigeritis, et ego recipiam vos. Accingere ergo, pater beatis-

(12) quam (*suprascr.* cum) C.

sime, gladio tuo super femur tuum potentissime, cum idcirco tibi divinitus potestatem hanc datam esse intelligas, ut malos punias et ecclesiam tuam in ruinam ac deformitatem tendere minime patiaris. Sume tibi arma et 5 scutum et exurge in adiutorium ecclesiæ non fervore vindictæ, sed zelo iustitiæ. Hoc quidem pietatis genus est in hoc esse crudelem. Nihil tanto studio cupere debes, quam ut ætate tua Romana ecclesia, sponsa 10 tua, debita tranquillitate et pace lætetur.

> Sacra suosque tibi commendat sponsa penates;
> Hos cape fatorum comites, his mœnia serva.

Coram te procidant reges, obediant 15 primates mundi tanquam ipsi domino Iesu Christo, nec erit qui tuæ velit resistere voluntati; omnia quæcunque volet, facies in terra et in mari et in abyssis, quoniam adiutor et protector factus est tibi dominus 20 in salutem divo clamante Isaia: Venio ut congregem cum omnibus gentibus et linguis, et venient et videbunt gloriam meam et

(14) menia C.

ponam in eis signum, scilicet sanctæ crucis, et
mittam ex eis qui salvati fuerint ad gentes
in mari, in Africa, in Lydia tenentes sagittas,
in Italia et Græcia et ad insulas longe ad
5 eos qui non audiverunt me et non viderunt
gloriam meam et annuntiabunt gloriam meam
gentibus. Recordare tibi a domino per
Ieremiam dictum: Ecce constitui te super
omnes gentes et regna, ut evellas et de-
10 struas et ædifices et plantes. Et per Ezechi-
elem: Speculatorem domini Israel posui te;
si videris gladium venientem et non inso-
nueris buccina veneritque gladius et tulerit
animam de populo, sanguinem eius de mani-
15 bus tuis requiram. Hoc enim vere faten-
dum est, te ad hoc sedis apostolicæ solium
possidere, ut ovium tuarum curam geras et
cum videas lupum venientem, minime fugias,
sed earum libertati et utilitati salubriter pro-
20 videas. O quanta divinitus sanctitati tuæ
gratia demittitur, quanta laudis et gloriæ
paratur occasio! Eam lætus gaudensque
complectere. Sic omnes præcessores tuos in
Romanam ecclesiam beneficiis maxime ante-
25 celles. Quo quidem sancto et glorioso opere

quid viderunt priora secula felicius nec visura posteritas? quid magnificentius? quid Christianæ religioni utilius? Ex hoc Romana ecclesia, universus denique orbis, ex his beneficiis sanctitati tuæ plurimum debere affirmabunt. Sanctimoniam quoque vitæ tuæ, fidei ardorem, maximam mentis constantiam summo studio quibus poterunt laudibus, prædicabunt, cum sponsam tuam a fœdo huius adulteri amplexu fœdari minime passus sis, sed venienti gladio et Christi tunicam inconsutilem scindere molienti scuto fidei amictus te obieceris ac magno animo opposueris et eam ab omni servitute liberam tristitiæ vestibus exutis divino munere et imperscrutabili providentia tua regio ornatu indutam in sua dignitate conservare volueris. Vere quod ait Isaias iam impletum est: Populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis, quoniam in sole posuit tabernaculum suum et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo

(6) Sanctimonia C. (9) fedu C. (10) fedari C. (13) obiecisti C. (13. 14) opposuisti C. (16. 17) inductam C.

exultavit, ut Gigas ad currendam viam a summo cælo egressio eius; nec est qui se abscondat a calore eius, cum conspectu tuo fugatis tenebris, atra discussa caligine pacis ac 5 tranquillitatis radios hauriemus. Hoc maximum erit sacrificium, quod a te summo pontifice deo nostro offerri poterit! Dabit tunc omnipotens deus, ut magno cum gaudio et honore integritatem fidei amplifices, pacem 10 et quietem conserves; gentes indomitas populosque feroces contundes legesque viris et mœnia pones, memor Abachuch canentis: In fremitu conculcabis terram, in furore obstupefacies gentes. Egressus es in 15 salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo, percuties caput de domo impii, denudabis fundamentum eius usque ad collum.

Hæc tibi erunt artes, pacis imponere mores,
Parcere subiectis et debellare superbos.

20 De te tunc merito a prophetis pronuntiatum figuris et enygmatibus præfiguratum affirmabunt. Subibit nomen Virgilianum, hoc est:

(16. 17) deundabis C *ante corr.*

Sum pius Aeneas, raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum fama super æthera notus.

Et ideo gloria in excelsis deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis; cantemus domino, quoniam magnifice fecit, 5 annuntiemus hoc in universa terra; hauriamus aquas de fontibus salvatoris, quoniam evanuerunt impii in cogitationibus suis et credentes se esse sapientes stulti facti sunt. Hoc scit ille reverendissimorum cardinalium 10 cœtus, hoc scit universa sacrosancta mater ecclesia, virtutes tuas laudantes et te tanquam divinum numen in terris adorantes, cum tua lata virtus, summa bonitas, integritas, iustitia, misericordia, pietas, mansuetudo et inno- 15 centissime acta vita a primis ut aiunt unguiculis ad hanc usque diem veluti sidus quoddam semper resplenduerit adeo, ut nemine recusante uno consensu, una mente, una voce, quod nunquam accidere solet, te pontificem 20 nostrum delegerint, tibi colla humiliter submittentes, te illum unicum esse profitentes,

(13) quom C. (15. 16) inocentissime C. (18) resplendeverit C.

in quo omnium salus sita sit, cuius opere subleventur boni, opprimantur mali. Lætetur itaque totus fidelium cœtus et canticum lætitiæ et exultationis alta voce concinat,
5 cum eius gloriosissimi patris et propugnatoris tanquam rosæ nimio fragrantis odore et tanquam cypressi in cæli altitudinem se extollentis usque ad extremum terræ divulgetur nomen et in æternum sit memoria eius in
10 benedictione. Sed quid ago, quæ tanti viri laudes enarrare audeam, quibus plena est terra, cuius splendor est sicut lumen, cum in omnem terram exiverit sonus eius iuxta illud reginæ Sabbæ; maior enim est sapi-
15 entia tua et opera quam rumor, quem audivimus! Patere igitur, pater beatissime, et hanc ingenioli mei imperitiam et paupertatem læto animo, uti omnia soles, ut ab initio dixi, suscipere et patienter lege, quoniam neque
20 aurum neque argentum munus est, sed ipsa tribuentis voluntas, neque quid detur considerandum, sed qua mente, quo animo, qua voluntate. Deum sacræ litteræ testantur

(4) concinant C. (11) enarrare C *a prima manu in marg.*, enumerare *in textu.*

respexisse ad Abel et munera eius: prius siquidem ad Abel, deinde ad munera, ut intelligamus, non tam ei gratum existere quod offertur, quam animum offerentis, quoniam non ex tristitia aut ex necessitate, sed hilarem datorem diligit deus. Nihil tunc prædicabitur hac tua humilitate, benignitate admirabilius, nihil devotius. Hac via rapies cælum, quoniam talium est regnum cælorum, cum vox clamet evangelica: Discite a me qui mitis sum et humilis corde, deposuit potentes de sede et exaltavit humiles. Reliquum est, ut sanctitatem tuam omni animi devotione supplicans orem, me indignam ancillam tuam, devotissimos servos tuos fratres meos universamque familiam Nogarolam, quæ se totam tuo sanctissimo nomini dedicavit, ea caritate et benivolentia, qua fidelissimos servos tuos diligere soles, diligas et gratia tua dignos iudices. Et ego cælestem regem precor, et quidem vehementer, ut pium ac sanctum desiderium nostrum adiuvet, id est, ut sanctitati tuæ quæ placita sunt omni

(2) ad habel C. (10) quom C. (22) vestrum C.

tempore exercere possimus ad laudem et gloriam nominis sui, cui est honor et gloria in secula seculorum amen. Valeat sanctitas tua. Veronæ, Kalendis Augusti MCCCCLVIIII.

Eiusdem sanctitatis tuæ

humilis ancilla

ISOTTA NOGAROLA.

LXXX.

(Utini, die XXIII. mensis Mai a. 1461.)

Clare scribendum, ne orationis contrarietas interprete indigeat.

Ludovicus Fuscarenus Ysotæ Nogarolæ S.

DAMNAS et excusas scribendi tarditatem. Eo nos tua sanctimonia et religione deduxisti, ut patiendi et pendendi mihi necessitas sit. Scribe dilucide, ne interprete sit opus Edippo et desideriis tuis non frustraberis. Hæc ideo dico, quia nos hortaris, ut res perficiatur. Hoc quo pacto fiendum sit, nescio. Locuta fuisti cum venerabili patre decano, misisti Gabrielem fidissimum, scripsisti per heremitarum fratrem. Si meas partes interpono, non consulitur honori vestro, quia videremini nimium avide intercessores multiplicando petere.

Nr. 311. (3) imprete C. (8) pendi C. (9) desideris C. (12) nesio C. (13) Gabriellem C. (16) honore (?) C.

Mater virginis mulier est, ubi velis, nolunt, ubi nolis, cupiunt ultro. Si decanum convenio, te mendacem declaro, quæ dixisti te velle contractus hos me latere. Itaque te
5 collige, consule, præcipe; libentissime parebimus. Vale.

Gregorius Mapheus orator suavissimus edidit orationem, Veronæ dum præfectus forem. Dixi ex tempore; vellem accuratius
10 de Veronensium laudibus scribere nunc, cum mihi otium superest. Igitur ipsam habere et ad nos mittere stude, ut par pari referam. Vale iterum. Utini X. Kalendas Iunias.

LXXXI.

(Utini, a. 1461.)

Excusatur scribendi tarditas; optat litteras Damiani et Isotæ adventum.

Ludovicus Fuscarenus Damiano Burgensi Sal. 5

Ut autem tabellarii fidem non timeas, da operam, quod clarissima virgo Isota Nogarola ad nos veniat, quo et epistolas tuas deferat et deposito luctu atque squalore fructu iocundissimæ consuetudinis nostræ uti possit, sicut gravissimo iurisconsulto Montorio Mascarelo ferme pollicita est et suus in universam familiam nostram amor cogere debet et lacrimarum suarum medicina exposcit. Scripsit enim mihi se Venetiis satis quievisse; nunc tribulationes cordis multiplicatæ sunt, quia dolor eius in conspectu suo semper et dereliquit eam virtus sua. Hortari conatus

Nr. 212. (3) Excusatus C. (4) aducatum C. (6) *In initio nonnulla omisi.* thabell. C. (10) iocund. C.

sum ipsam, ut postea quam conspectum nostrum sibi profuisse cognovit, non patiatur cor suum sicut ceram liquescere, sed ad nos veluti ad quietis fontes redeat. Litteras
5 nostras tu ipsam perlegere iube, preces tuas cumulabis et eam obsecrare et obtestari non desinas, quo expectationem quam de se concitavit expleat. Se dolore levet, quoniam quicquid solatii capiet, nobis acce-
10 det. Non potest Isota absens dolere, quin universam generosam suam familiam et nostram in luctum trahat; huic novo casui novum loci mutandi consilium adhibeamus Fœnices terræ motu territi relicto patriæ
15 solo Assirium stagnum primo mox mari proximum littus incoluere condita urbe, quam a piscium multitudine Sidoneam appellaverunt, nam pisces Phenices sidum vocant. Isota quæ semper misere luget non poterit
20 per aliquos menses, quoad reviviscat, domo abesse, cum nihil iam aliud restat, quo possit lacrimis suis modum imponere. Multi quærunt consilium et non inveniunt, cura quod ipsa inventum non negligat. Vale.

(1) ortari C. (18) pissium C. Sidonem? (19) pissces C.

LXXXII.

(Veronae, die IX. mensis Augusti a. 1461.)

Ad illustrem et magnificum militem Venetum patritium D. Iacobum Antonium Marcellum in obitu eius dulcissimi et inclyti filii Valerii 5
Marcelli Isotae Nogarolae Consolatoria.

MEMINI me apud Plutarchum legisse, magnanime domine atque clarissime pater, antiquum quendam philosophum cum Arsinoem reginam mortem 10 filii graviter ferentem consolari conaretur, ad eam ingressum sic fabulari cœpisse: Fuit quoddam tempus, o regina, quo Iupiter omnibus diis pro uniuscuiusque dignitate honorem distribuit. Eo tempore luctus abe- 15 rat, cumque iam divisis honoribus rediisset,

Extat in unico codice *(C)* Bibliothecæ Civitatis Ferraræ (Codici Esteri, classe 2, Nr. 135, N. A. 5), qui olim Ioannis Baptistae Panetii Carmelitani Ferrariensis die 27 mensis Martii a. 1497 defuncti erat.

(4) Mearcellum C. (10) cum *ante* antiquum *est in* C. (12) cœpisset C.

a Iove petiit, ut eum etiam aliquo honore veneraretur. Omnibusque consumptis honoribus diu Iupiter dubitavit. Tandem eum illo qui mortuis attribuitur honore affecit, ut ei 5 scilicet dolore atque lacrimis homines sacrificarent; quapropter ut reliqui dii eos a quibus coluntur amant atque propitii sunt, sic luctus eos qui sibi sacra ferunt accedere atque præsens esse consuevit. Si ergo, mulier, 10 nullis honoribus eum afficies, nunquam tibi aderit; si vero summa diligentia, mœrore lacrimisque eum honorabis, te amabit, te complectetur, nunquam te derelinquet, semper tibi aliquid præbebit, quo perpetuis 15 honoribus eum veneraberis. Quæ cum philosophus dixisset, omnem illum mœrorem reginam deposuisse ferunt, quod itidem a magnanimis viris faciendum intellexit, ne in luctu et lacrimis miseri vitam ducant, cum a 20 sapientissimis philosophis et sanctissimis viris ille minime vituperetur qui doleat, sed qui modum in dolendo excedat.

Ego vero, quæ te ab ineunte ætate mea

(1) petiisset C.

amavi ut patrem, colui ut dominum, et felicissimum semper optavi, cum ex multorum relatione tuisque piissimis scriptis intellexerim, te pro obitu dulcissimi filioli tui Valerii in dolore ac mœrore longe magis ac par 5 est versari, temptare decrevi, si qua ratione dolorem hunc tuum, quo non possum admodum non dolere, aliqua ex parte lenire possem teque ad rationem revocare, ne, cum homines sumus, more Gigantum cum diis bellum 10 gerere videamur. Vereor tamen, ne multis appaream temeraria, quæ inter tot oratorum, tot philosophorum agmina, qui te suis elegantissimis scriptis ac gravissimis sententiis consolari conati sunt, procedere et in media 15 acie versari audeam. Verum hæc a me tibi deditissima inornate enunciata forsan magis acerbissimum hunc dolorem tuum emollient, quia me veræ filiæ officio fungi tua considerabit excellentia, cum 20 maluerim ab omnibus audax et impudens, quam a te benignissimo patre et ab his qui me tuam humanissimam filiam ab

(13) tuis C. (19) emolient C. (22) ab *om.* C. (19) humillimam ?

ineunte ætate mea, ut dixi, pro tua in me et
in Nogarolam familiam singulari caritate et
mea in te reverentia cognoverunt iudicari,
cum omnium virtutum merita bonum humili-
5 tatis exsuperet. Sed quo modo te consola-
bor, cum ipsa eadem consolatione egeam
et omnis philosophiæ ac religionis oblita
terga dare visa sim, meque dolor et mœror,
quem ex morte sanctissimæ ac dulcissimæ
10 matris meæ cepi, captivam ducant, ex
qua incredibilem ac graviorem quam un-
quam existimassem concepi dolorem? Sed
cum re atque opere Christianam esse pro
viribus studeam, decrevi verbis parum com-
15 positis vel fortasse ineptis ad te scribere, ut
mediocritatem simul amplexemur. Et cum
duabus constemus rebus, mente scilicet et
sensibus, et sensibus satisfactum sit, nunc
mentem et rationem revocemus, quoniam
20 medium semper tenuisse Christum nostrum
omnesque beatos sacræ testantur historiæ.
Non enim assentior poetis qui nos e silice
aut duro robore natos fingunt, sed potius

(10) cæpi C. (11. 12) nunquam existimasse C. (14) par C.
(20) Christum] caput C.

Satiro illi cum dicat mollissima corda hominibus dedisse naturam

Quæ lacrimas dedit. Hæc nostri pars optima sensus;
Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ
Virginis occurrit, vel terræ clauditur infans. 5

Ferunt illi Oratium cum Iovis ædem pontifex dedicaret mortuumque esse filium audisset, nec manum a poste removisse quem tenebat nec vultum a publica religione ad privatum luctum deflexisse, ne patris magis quam pon- 10 tificis partes egisse videretur. Proferunt Quintum Martium superioris Catonis in consulatu collegam, filium summæ pietatis, magnæ spei et, quod non parva calamitatis accessio fuit, unicum, amisisse eiusque obi- 15 tum tanta constantia et animi moderatione tulisse, ut rogo iuvenis relicto curiam peteret senatumque quem eo die habere oportebat convocaret. Extollunt Xenophontem, qui cum solemne sacrificium perageret et 20 filium apud Mantineam civitatem mortuum cognovisset, institutum deorum cultum nec

(1) molissima C. (5) occurit C. (8) porte C. (10) defflexisse C. quam] que C. (19) evocaret C.

ideo omittendum duxisse, sed tantummodo coronam deponere fuisse contentum, et percunctatus, quonammodo accidisset, ut audivit, fortissime pugnantem, eandem capiti
5 reposuisse, numina quibus sacrificabat testatum, maiorem se ex virtute filii voluptatem quam ex morte amaritudinem sentire. Laudant Atheniensium principem illum Periclem, cuius in labris sedisse quandam persuadendi
10 deam ferunt, quam Latini Suadam appellabant, cuiusque divinam eloquentiam tonitribus et fulgoribus Græci comici comparare non dubitant, intra quatriduum vel intra octiduum, si Stesimbroto creditur, duobus
15 filiis adolescentibus, Xantippo scilicet et Paralo, se orbatum vidisse. Amisit etiam eis diebus sororem Pericles et amicos quamplurimos, qui illi plurimum in republica favebant. Quibus diebus tanta constantia fuisse ferunt,
20 ut nullis lacrimis fusis pristinum vultum servaret, quin etiam subito post mortem filiorum coronatum more patriæ atque alba veste indutum concionem habuisse, qua vehemen-

(17) Peuclas C. (20) lachrymis C. (20. 21) servarent C.

ter ad bellum Athenienses incitaret. Miris in cælum meritoque efferunt laudibus Hemylium Paulum, qui victor Romam rediens ex duobus filiis quos sibi servaverat alterius funus quartum diem ante triumphum prosecutus est, alterum in curru triumphali conspectum post diem tertium amisit, quam calamitatem summa constantia, summa animi magnitudine, summo denique robore tulit orationemque apud populum talem habuit: Cum admirabilem successum nostræ felicitatis, Quirites, animadverterem, semper veritus sum, ne fortuna, quæ prosperis rebus invidere solet, mali aliquid rependeret. Quapropter Iovem optimum, Iunonem reginam ac Minervam precatus sum, ut quidquid adversi populo Romano immineret, id omne in nostram domum converterent. Itaque bono animo estote, Quirites; res enim bene se habet, nam dii immortales nostris votis annuerunt. Egerunt enim, ut vos potius nostro casu doleatis quam ego aliqua vestra calamitate ingemiscerem. — Admirantur etiam in

(5) tryumphum C. (6) tryumphali C. (16) præcatus C. (16. 17) adusi C. (18) converteret C. (21) nos C.

sexu fragili constantiam, Lacænam scilicet mulierem, quæ cum filium in prælium misisset interfectumque audiret, Idcirco, inquit, genueram, ut esset qui pro patria non dubi-
5 taret occumbere. Corneliam matronarum decus, quæ multum filiorum eloquentiæ contulisse dicitur, tam infauste amissis duobus liberis tanto animo, tanta eloquentia præditis, Nunquam, inquit, dicam me infelicem,
10 quæ Grachos peperi.

Ipsa ergo, quam non pudet esse feminam, loquor ut femina meque tamen plurimorum antiquorum gentilium et Christianorum auctoritate defendam, hos po-
15 tius colossis marmoreis quam hominibus assimilandos, cum pietatem e medio tollant. Quis enim erit tam gloriæ cupidus, tam durus, tam immitis, tam ferreus, ut neque obitu parentum neque filiorum morte neque
20 amicorum mœrore moveatur? Nam Christum nostrum intueantur, Lazari amici sui morte contristatum lacrimas fudisse. Teste Evangelio, ut vidit Mariam plorantem et Iudæos qui venerant cum ea plorantes, infremuit

(20) Christum] caput C. (22) lachrymas C.

spiritu et de conditione humana pietate est affectus. Illam quoque Hierosolimorum eversionem, quæ a Tito et Vespasiano Romanis principibus facta est, eundem dominum flevisse cognovimus, sane dicente 5 Evangelio: Cum appropinquasset Ihesus Hierusalem, videns civitatem flevit super illam &c. — Mariam eius dulcissimam matrem filium crucifixum amarissime plorasse et suam ipsius animam pertransisse gladium, 10 apostolos fratres a se solum discedentes in Actibus Apostolorum lacrimis prosecutos, Isaac, Iacob, Ioseph, David hominem secundum cor domini lacrimas fudisse certissimum est. Ipsos denique angelos passionem domini 15 sui luxisse Isayas testatus est: Angeli pacis amare flebunt. — Percurrant gentilium historias. Cato fratris obitum gravius tulisse quam philosopho conveniret visus est. Cicero se pugnasse semper contra fortunam dicit 20 eamque a se superatam esse; cum autem amiserit carissimam filiam, victum se a fortuna fatetur. Cum igitur in omnibus servandus sit modus, et sensibus, ut dixi, satis

(5) sano C. (9) plorantem C.

indultum sit, habenas rationis revocemus nec dolorem nostrum longius vagari sinamus. Tuque inprimis, vir clarissime, cum magna laus sit et admirabilis tulisse casus
5 sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem, et eo magis, cum nihil sit infelicius eo, Seneca testante: Cui nihil evenit adversi, male de illo dii iudicaverunt. Philippus rex Macedonum,
10 cum uno tempore tres læti nuntii sibi venissent, primus quod quadrigarum cursu Olympia vicisset, secundus quod Parmenio eius dux Dardanios pugna superasset, tertius quod Olympias filium masculum peperisset, sublatis
15 in cælum oculis et manibus, O deus, inquit, mediocrem ex his calamitatem repone. Sciebat enim prudens rex, quod maximis successibus fortuna invidere solet.

Filium hunc habuisti ad tempus accom-
20 modatum et tamquam depositum aliquod commendatum, ut eum servares depositori deo, ut cum eum repeteret, iocunde prompteque restitueres. Ab ipsa natura talibus et

(6) retineas? (14) perisset C. (18) invideri C. (19. 20) accomodatum C.

animi et corporis dotibus ornatus, ut omnia magna de eo sperare licebat. Tanta inerat ei ingenii celeritas ad intelligendum, tantum acumen ad investigandum, ut de rebus maximis loqui, sententias gravissimas 5 dicere minime dubitaret. Summa ratione, magnitudine animi, moderatione, prudentia, eloquentia supra ætatem præditus, ut omnibus quibus cognitus erat tanquam novum quoddam inauditumque miraculum videretur 10 et ad virtutum omnium et disciplinarum ornamenta facile evasurum et tibi dignissimo patri, quocunque in statu esses, ornamento et voluptati fore merito ab omnibus iudicaretur. Cum igitur tot virtutibus accumulatus vita 15 excesserit, non immaturam eius mortem dolere, sed a deo evocatum existimare debes, cum paucorum annorum accessus nos beatiores minime efficere possit, et ei gratulandum est, quod extra omnem calamitatem et mise- 20 riarum aspectum positus tranquillo iam in portu securus et tutus requiem agat et divina præstante gratia factus sit ei de morte nata-

(2) liceret? (8) præditum C. (14) indicaretur C. 21) tranquilo C. (22) agit C.

lis dies et finis vitæ vivendi initium dederit, quoniam, ut inquit Paulus apostolus, talibus vivere Christus est et mori lucrum, quia tali hac morte vitam sibi meretur æternam. Quod
5 profecto senili quadam intelligentia agnoscere visus est, cum tam forti et virili animo mortem perpessus sit, ut nemo eum dolere aspexerit, sed quoad pie fieri potest eam summis precibus optaret; sciebat enim se ad
10 meliorem vitam profecturum, ubi mors ultra non erit nec luctus neque dolor, et cum in hac vita tanquam advena esset et peregrinus, de exilio ad patriam, de miseria ad gloriam, de mortalitate ad immortalitatem pergere.

15 Te igitur senem Valerium filium tuum puerum imitari non pudeat, qui tibi viam præscripsit, qua mortem suam cæterorumque tuorum ferre debes. Recordare, quibus verbis, quanta eloquentia, quanta gravitate, dum
20 extremum sibi diem instare videret, te patrem consolabatur, hortabatur, ne eum muliebri veste indutus lugere velles, cum luctus et lugubris lamentatio ad mulieres imbecilles, non ad viros fortes atque magnanimos per-

(7) dolore C.

tinere divinitus intelligeret. Hæc igitur tecum memoria repete et animo sæpius volve, ne tibi iam provecto defuisse et hac animi perturbatione circumventus esse videaris, qui tanta prudentia, tanta rerum gestarum gloria, 5
tanto rerum usu semper viguisti, cuius ope, consilio non solum multi homines, sed etiam multi populi floruerunt, ut laudibus tuis nulla finem allatura sit ætas nomenque tuum usque ad extrema terrarum pervenerit. Tu pietatem 10
in patriam, incredibilem iustitiam, summam gravitatem exhibuisti, tu oppressorum refugium fuisti, tu clarissimorum virorum fautor extitisti, in administranda re publica fidem, auctoritatem, eloquentiam præstitisti. 15

Prætereo dignitates, magistratus, præturas, legationes, quas tanta cum integritate, modestia, humanitate, sapientia gessisti, ut omnibus etiam inimicis propter tantarum virtutum dignitatem gratus et admirandus 20
existeres et omnes intelligerent non utilitatem quandam aut privatum commodum ex eis, sed defensionem pauperum, bonorum sublevationem, malorum oppressionem, to-

(9) pietate C.

tius populi correctionem abs te esse susceptam. Testis est Verona nostra, in qua tam multa memoratu digna gessisti, ut in maximo discrimine suo tempore illius infelicissimæ cladis te tamquam imperatorem inter tot strenuissimos duces eligerent, illustris simulque senatus Venetus confirmaret tibique summam totius belli committeret. Sperabant enim tali duce victores fore nec ea spes eos fefellit, nam tanta prudentia, tanta fide, tanta eloquentia, tanta belli peritia viguisti, ut fugatis hostibus victoriam reportares et admirabilem quandam pacis ac belli sententiam magnitudinemque animi, laborem in negotiis, fortitudinem in periculis, industriam in agendo, celeritatem in conficiendo, consilium in providendo, quod proprium imperatoris est, in te cognoverunt et te uno tempore armis et toga expertissimum intellexerunt.

Testis est Brixia potens armis atque ubere glebæ, in qua non minus incredibilis et prope divina virtus tua enituit, cuius ductu et auspiciis tot et tanta gesta sint, ut te pro-

(8) committerent. Superant C. (13. 14) magnitudineque C. (20. 21) urbe glebe C.

pugnatorem, defensorem, conservatorem omnes tamquam e cælo missum semper appellent. Testis est denique Italia tota, cuius imperium tua singulari virtute et magnanimitate, dignitatem maiestatemque servasti, cui 5 pacem, quietem, dehinc decus, honorem, libertatem restituisti. Pro acerbissimis luctibus, pro cædibus civium, pro domorum incendiis, pro vexationibus virginum, pro vastitate urbium, pro omni genere atrocissimæ 10 servitutis hilaritatem, salutem, concordiam est consecuta. Multa quidem alia memoratu digna prætereo, quoniam non est hic commemorandi neque scribendi locus et nostra conditione hæc aliena existimanda sunt, cum 15 hæc vita, hic sexus alios mores postulet. Hæc quidem opera præclara sunt et gloriosa, verum in eis aut aliena virtus aut fortunæ vis laudatur, quoniam, ut inquit ille, maximam partem quasi suo iure fortuna sibi vin- 20 dicat et quicquid est prospere gestum, hinc pæne omne dicit suum. Neque hanc laudem, cuius socium habes, propriam aut peculiarem

(7) accerb. C. (13) quoniam] quem C. (19) quoniam] quem C. (23) sotium C.

tibi esse arbitror, quoniam non genus et proavi, soboles, divini honores, principatus, membrorum agilitas, res bellicæ et reportati ex hoste triumphi et ea quæ vulgo existi-
5 mantur bona cuiusque propria sint, sed timere deum, animum vincere, vitia compescere, virtutibus intendere, iustitiam, constantiam, clementiam, mansuetudinem, morum quoque sanctimoniam, vitæ integritatem,
10 bonitatem, misericordiam, pietatem omnesque virtutes, quæ a ratione et intimo mentis ductu proficiscuntur, et adversa leviter ferre, secunda moderate docent, bona et nostra esse diximus. Eia igitur, illustris vir, abicia-
15 mus opera tenebrarum et induamur arma lucis, cogitantes nos homines natos esse ea conditione, ut moriendum sit, et qui morti repugnare conatur, divinæ voluntati nititur repugnare, cui refragari impossibile est nec
20 velle debemus, sed potius cum beato Iob gratias agamus deo creatori nostro, qui nos paterno affectu corrigit et castigat, cum illo dicentes: Dominus dedit, dominus abstulit,

(2) divinæ C. (3) belicæ C. (13) docet C.

sicut domino placuit ita factum est. Et si bona de manu domini accepimus, mala autem quare non sustineamus? Quapropter nulla nobis ab eo collata mala videri debent, sed omnia tamquam optimi patris filii patienter moderateque ferre, omnia veluti stercora cum apostolo reputantes, ut Christum lucri faciamus, dicendumque cum Ecclesiaste: Vidi cuncta quæ fiunt sub sole, et ecce universa vanitas. Et alibi: Vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi et nihil permanere sub sole. Et Petrus apostolus vitam hanc brevem, miseram, caducam dicit: Omnis caro fenum et omnis gloria tamquam flos feni; exaruit fenum et flos eius decidit. Et Iacobus apostolus: Vita nostra vapor est admodum parens et deinceps exterminabitur. Et Paulus: Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est; reliquum est, ut qui habent uxorem tanquam non habentes sint, et qui flent tanquam non flentes, et qui gaudent tanquam non gaudentes, et qui emunt tanquam non possidentes, et qui utun-

(7) apostulo C. (15) fœni C. fœnum C. (17) parcus? (23) eminit C.

tur hoc seculo tanquam non utantur; præterit enim figura mundi huius, volo autem nos sine sollicitudine esse. His igitur sanctissimis monitis obtemperemus, consolamini
5 invicem in verbis istis neque caduca mortalium corpuscula lugeamus, scientes nos brevi illos esse visuros, dummodo boni simus. Redibit taliter ad te, mihi crede, illa tua rerum moderatrix sapientia, honor, quies,
10 laus confluet, et tam amplo atque ornato conscientiæ spectaculo et virtutum præsidio munitus nullis succumbes calamitatibus, sed patientia duce gaudebis te in illud certamen descendisse, quod tibi summam laudem et
15 gloriam præbeat sempiternam, quoniam virtus infirmitate perficitur. Laudabunt te præsentes, venerabuntur posteri et vitam æternam tuis laboribus, tuis vigiliis partam consequeris. Vale. Veronæ V. Idus Sextilis
20 1461.

(12) nulli C. (19) Sextillis C.

LXXXIII.

(Ex terra Bodoloni, die XIX. mensis Februarii a. 1464.)

Hermolaus appellatus Pontifex Veronensis, servæ Domini Iesu Isotæ Nogarolæ, mulieri doctissimæ, pacem et verum gaudium. 5

Insignis miles Ludovicus Nogarolus frater tuus . . . . . me et excusatum habeas rogo. Vale in domino Iesu semper. Ex terra nostra Bodoloni, XI. Kal. Martii MCCCCLXIIII. 10

Confer Agostini, Notizie istorico-critiche intorno la vita, e le opere degli scittori Viniziani (In Venezia MDCCLII) I. p. 248. 249: «Nonnostante tutti questi ornamenti, oltre a i maggiori benefizi fatti da lui in più volte nella Città e Diocesi Veronese, si ritrovarono in qualche tempo certuni, li quali ardirono contraddire a' suoi giusti decreti, e di eccitare tumulto contro il medesimo loro pastore. Scrisse per tal' effetto contra costoro, anzi a meglio dire, in propria difesa un' opuscolo, indirizzandolo ad *Isotta Nogarola*, che pervenuto alle mani del celebre Senatore *Lodovico Foscarini*, non si recò a vergogna, di metterlo in paragone delle Opere di *S. Girolamo*, e di *S. Agostino;* talmentecchè dovendo scrivere allo stesso *Ermolao*, pro-

testa nella sua lettera (Epist. CCLXIV) essere quel suo libro un arma poderosissima mercè cui gli Vescovi successori potranno resistere alle insolenze de' loro avversari, e faranno senza dubbiezza più capitale del libro, *quam atria magnifica, templa amplissima, magnitudine miranda, marmoribus splendidissima, auro fulgentia, quæ in Urbe, et extra ad ipsorum utilitatem, et voluptatem infinito sumptu ædificasti, quam innumerabilia argentea vasa, quam nobilissimam librorum multitudinem, quam locupletissimam ceterarum rerum Pontifice dignissimam supellectilem tuam.*» Idem ibidem p. 253: «*Hermolaus* &c. Questo è il Trattato contro i suoi persecutori, accennato da noi più sopra, e cotanto lodato dal *Foscarini.* Egli è scritto nel secolo XV. di mano del *Barbaro*, e si conserva in un Codice della Biblioteca *Saibante*, ristretto in XIX. pagine. Comincia: *Insignis* . . . Finisce . . . . *Ex terra nostra Bodoloni* (Bovolone) XI. Kal. Martii. MCCCCLXIIII.»

LXXXIV.

(Malpagæ? a. 1464?)

Laudat pontificis Veronensis severam admonitionem in populos suos omni arte editam.

Ludovicus Fuscarenus Reverendissimo Patri Ermolao Barbaro Episcopo Veronensi S. 5

TRES tuas epistolas, pontifex colendissime, cum codice doctissimæ ac religiosissimæ Ysotæ Nogarolæ dedicato recepi, quibus non modo 10 mihi satis fecisti et plurimis clarissimis viris, qui ex proximis locis ad me visendum venere, sed etiam admirabilissimus visus es, præsertim Iacobo Alzarensi, viro eruditissimo, qui ex Guarini officina optimas litteras doctus 15 rectissime sentit, liberrime loquitur, Malpagæ Imperatoris lateri hærens semperque gratissimus existens, ius dicit. — — — — Non erit ergo imposterum aliquis ita indignus, impor-

tunus, impius, sceleratus, ex cuius mente pernitiosas cogitationes in Christo domino tuæ divinæ orationis vis non evellat. Accedunt piæ preces Isothæ Nogarolæ, quæ est
5 innocentiæ et sanctitatis exemplum, qua nullus nostris temporibus integrior vivit, quam deus exaudire consuevit virginitatis meritis et divinæ professione virtutis. — — — Nova Franciæ quæ requiris nulla apud nos sunt
10 præter nomina principum, qui a rege defecerunt; illa his inclusa videbis et forte de regni mutatione dubitabis. Vale. Illustris hic imperator te colit et salvum esse cupit.

(2) in Christos domini C. (6) nulli C. integerior C.

LXXXV.

(Malpagæ, die XX. mensis Martii a. 1466.)

Promittitur reditus, si promissa servabuntur.

Ludovicus Fuscarenus Isotæ Nogarolæ S.

DOLEO te stomachi et corporis doloribus vexatam his sanctis diebus lenitate orationis acumineque nos inclinare argumentis adducere et animi motu cogere conari, ut a data pontifici fide discedam, quem quanto pluribus verbis conaris extollere, tanto rem duriorem difficilioremque efficis. Si tamen ea quæ mihi mane discedenti pollicita es, te servaturam certiorem reddes, hac sola spe me facile corrumpi posse fatebor, quoniam apud pontificem et ceteros omnes, quibus causa nota erit, me veniam impetraturum facile scio.

Nr. 312. (7) acumine cui C. (9) pontifi suo C.

Quod si iusiurandum regnandi in terris causa violandum esse Cæsar dixit, gloriæ cælestis adipiscendæ iure nihil prætermittendum est. Semper enim servanda promissa sancti nos 5 admonent, quando sine dispendio salutis æternæ servari possunt. Vale. Malpagæ XIII. Kalendas Apriles.

(1) Qui C.

ISOTÆ NOGAROLÆ

DE PARI AUT IMPARI EVÆ ATQUE ADÆ PECCATO DIALOGUS.

DE PARI AUT IMPARI
EVÆ ATQUE ADÆ PECCATO
PRÆCLARA INTER CLARISSIMUM
D. D. LODOVICUM FOSCARENUM
VENETUM ARTIUM ET UTRIUSQUE IURIS DOCTO- 5
REM ET GENEROSAM AC DOCTISSIMAM DIVINAM-
QUE DOMINAM
ISOTAM NOGAROLAM
VERONENSEM CONTENTIO SUPER AURELI AUGU-
STINI SENTENTIAM VIDELICET: PECCAVERUNT 10
IMPARI SEXU SED PARI FASTU.

Lodovicus incipit:

SI QUA nostri peccati gravitas maior esse potest, Eva damnabilior fuit, quia a iusto 15 iudice duriori pœna damnata, quia dei se similem fieri magis credidit, quod ad species irremissibilium pec-

In hac libelli recensione edenda codices adhibui duos, alterum Corsinianum *(C)*, alterum Veronensem *(V)*. Titulum ex *V* sumpsi, nisi quod v. 5 *et* atque *iuris* de meo addidi et leviora quædam menda (Adde . . . Isottam . . . contencio . . sentenciam . . set . .) tacite sustuli. Codex *C*, in quo præcedit Isotæ ad Foscarenum epistola, hunc titulum exhibet: *Propositio eiusdem domine Ixote : utrum plus peccaverit Adam an Eva : in qua defendit Evam et dicit ipsam minus peccasse quam Adam.*

(12) Lod. inc.] Aloysius (vel Lodovicus) Foscarenus C. *in marg.* (13) Si qua tamen peccavi *V.* (14) dampn. *V hic et infra.* (16) pena dur. C. (17) magis fieri C. (18) iremiss. *V.*

catorum in spiritum sanctum accedit, quia suggessit et fuit causa peccati Adæ, non e contra, item quia, licet turpis sit excusatio amici causa peccare, nulla tamen tolerabilior, qua ductus est Adam.

Isota. Mihi autem, postquam me provocas, longe aliter contraque videtur; nam ubi minor sensus minorque constantia, ibi minus peccatum; et hoc in Eva, ergo minus peccavit. Unde hoc cognoscens serpens ille callidus initium tentationis sumpsit a femina, dubitans quidem hominem propter constantiam non posse superari. Sententiarum II.°: Stans coram femina hostis antiquus non est ausus in verba persuasionis prorumpere, sed sub interrogatione eam alloquitur: *Cur præcepit vobis deus, ne comederetis de ligno paradisi?* At illa: *Ne forte moriamur.* Videns autem diabolus eam

(2) suggessit *V.* pecati *V.* Adde *CV.* (2. 3) A. et vero e contra *V.* (3) quia *om.* C. turpe C. (4. 5) tollerabilior *CV.* (5) Addam *CV.* (6) Issotta *V*, Isotta Nogarola C *in marg.* priusquam *V.* (7) contra quod videor *V.* (10) cognosens *V.* (11) calidus *V.* temptacionis *V.* (16) interog. *V.* (17) aloquitur *V.* (19) autem eam dyasus *V.*

de verbis domini dubitare, inquit: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Vel etiam propter maiorem præcepti contemptum, nam Genes. II.° videtur dominus Adæ non Evæ præcepisse, cum 5 dicit: *Tulit ergo dominus deus hominem et posuit eum in paradiso voluptatis, ut operaretur et custodiret illum,* et non dixit: *ut operarentur et custodirent illum, — et præcepit ei,* et non *eis: ex omni ligno comede,* et non *comedite, — in* 10 *quocunque enim die comederis, morte morieris,* et non *moriemini.* Et hoc quia magis æstimabat hominem quam mulierem. Nec videtur id fecisse mulierem, quia dei similem se fieri magis crediderit, sed propter fragilitatem 15 potius et voluptatem; unde: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum et pulcrum oculis aspectuque delectabile, et tulit de fructu illius et comedit deditque viro suo,* et non dixit, ut esset similis deo. Et nisi Adam 20

(1) ait C, inquid *V.* (2) set *V.* (4. 5) vid. hoc dom. *C.* (5) Adde *V.* Evæ *om. V.* (7) illum in paradisum *V.* (8) custodirent *V.* (10) commede *V.* commedite *V.* (11) quacumque ei ergo die *V.* (12) hec *V.* extimabat C, existimabat *V.* (13) Ne *V.* (15) set *V.* (18) tullit *V.* (20) Addam *V.*

comedisset, peccatum ultra progressum non
fuisset. Unde non dicitur: Si Eva non peccasset, Christus non fuisset incarnatus, sed: Si
Adam non peccasset. Unde mulier, quamvis
5 cum eo, de quo erat transducta, in paradisi
deliciis moraretur, primo tamen malæ suasionis insultum perpessa est; nihil vero, nisi
se ipsam, generis posteritatem læsisset prioris creati hominis assensu non præstito. Igi-
10 tur non Eva posteritati, sed sibi periculo
fuit, homo autem Adam sibi et cunctæ propagationi sequenti transducere maculam propinavit. Proinde Adam hominum generandorum auctor existens et perditionis primus
15 fuit occasio; quamobrem prius in viro,
deinde in femina generis humani est celebrata curatio, cum post expulsionem immundi
spiritus a viro de sinagoga surgens persanando accessit ad feminam. Quod autem a
20 iusto iudice duriori pœna damnata fuerit,

(2) sy *V.* (3) set *V.* (4) addam *V.* (6) tum *V.* (8) poteritatem *V.* (9) asensu *V.* (11) addam *V.* concte *V.* (12) trasducere *V.* (13) addam *V (sic semper)*. omnium C. (17. 18) cum prius exp. imm. spes auro de *V.* (18. 19) pro sanando C. (20) fuerit damnata C.

hoc perspicue videtur in contrarium, nam dixit deus mulieri: *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos; in dolore paries filios et sub viri potestate eris.* Adæ vero dixit: *Quia audisti vocem uxoris tuæ et comedisti de ligno, ex quo* 5 *præceperam tibi ne comederes* (ecce quod videtur, quod deus solum præcepit Adæ, et non Evæ) *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi et comedes* 10 *herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua assumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris.* Ecce quod durior videtur pœna Adæ quam Evæ, nam ei dixit: *In pulverem reverteris,* et 15 non Evæ, et ultimum terribilium est mors: ergo videtur maiorem fuisse pœnam Adæ quam Evæ. Hæc ut tuæ voluntati morem gererem, scripsi, sed cum timore tamen, quia non hoc opus femineum est; sed tu 20

(2) deus dixit *V.* erumpnas *V.* (3) cunceptus *V.* (6. 7) ecce quia solum vid. quod d. percepit adde *V.* (12) sumptus C. (13) quia p. es *om.* C. (19) scrisi set *V.* (20) quod C. est *om.* C.

pro tua humanitate, si quid inepte scriptum invenies, emendabis.

Lodovicus. Subtilissime Evæ causam defendis et ita defendis, ut, si vir natus non 5 fuissem, me tuarum partium tutorem constituisses. Sed veritati, quæ firmissimis est fixa radicibus, hærens tua castra tuis iaculis oppugnare institui, et fundamenta, quæ sacrarum literarum testimonio negari possent, ne 10 contradicendi materia desit, nunc impugnabo. — Eva ignorans inconstansque peccavit, ex quo tibi levius peccasse videtur. Ignorantia eorum præsertim quæ scire debemus nos non excusat, quia scriptum est: 15 *Si quis ignorat, ignorabitur.* Oculos quos culpa claudit pœna aperit. Qui stultus est in culpa sapiens erit in pœna; præsertim quum error peccantis negligentia occurrit. Ignorantia enim mulieris nata ex arrogantia non 20 excusat. Veluti Aristotiles et iurisconsulti,

(1) si quod *C.* scritum *V.* (3)Responsum praefati domini Aloisii ad praedictam dominam contra propositum ipsius *C.* sutilissime *V.* (7. 8) opugnare *V.* (9. 10) ne quod dicendi *C.* (10) non *CV.* (13) earum *C.* sire *V.* (14. 15) est quam si quis *C.* (17) pr. quoniam *V.* (18) neglicencia *V.* occurit *C.* (19) arogantia *V.*

qui veram profitentur philosophiam, duplici
pœna ebrios et ignorantes dignos iudicant.
Nescio etiam, quonam pacto tu, quæ per tot
annorum cursus ab Eva distas, ipsius sensum
damnas, cuius scientiam in paradiso a summo 5
omnium rerum opifice divinitus creatam serpentem
astutissimum præsentem timuisse
scribis, quia non fuit ausus in verba persuasionis
prorumpere, sed sub interrogatione eam
alloquutus est. De inconstantia vero proce- 10
dentes operationes vituperabiliores sunt.
Quemadmodum enim operationes sequentes
habitum constantissimum et firmatum sunt
laude digniores et specie differunt a præcedentibus,
ita ex inconstantia procedentes 15
operationes maiori censura puniendæ, quia
inconstantia per se mala addita peccato
malo facit ipsum deterius. Custodia etiam
Adæ commissa sociam non excusat, quia
fures, quorum opera pater familias confidens 20

(2) iudicant dignos *C.* (3) peccato *V.* (4) distans *C*, discas *V.* (7) ast. et præs. *C.* (9) set *V.* (10) aloqutus *V.* (11) vituperabilior *C.* (13) hab. et const. et *V.* constrictissimum *C.* (14) differrunt *V.* (17) adita *V.* (18) malo *om. V.* (19) comissa *V.*

utitur, ultimo supplicio non puniuntur, veluti extranei et illi, de quibus nulla est habita confidentia. Fragilitas etiam mulieris non fuit peccati causa, veluti scribis, sed super-
5 bia, quoniam promissio dæmonis fuit scientiæ, quæ arrogantes efficit et secundum Apostolum inflat. *Initium* enim apud Ecclesiasticum *superbia fuit omnis peccati.* Et licet aliæ consequutæ sint, illa tamen prin-
10 cipalior, quoniam caro obœdiens erat homini in statu innocentiæ existenti et non contraria rationi. Fuit ergo primus motus inordinatus appetitus appetendi quod naturæ suæ non competebat, veluti Augustinus Oro-
15 sio scripsit: Homo elatus superbia suasioni serpentis obœdiens præcepta dei contempsit; dixit enim adversarius Evæ: *Aperientur oculi vestri et eritis sicut dii, scientes bonum et malum.* Nec credidisset mulier, ut ait
20 Augustinus super Genesi, suasioni dæmonis,

(1) supl. *CV.* (4) set *V.* (5) demonis *CV.* (7. 8) ecclesi: *C*, ecclesiam *V.* (9) consequte *V.* (10) obediens *CV.* (12. 13) inhord. *V.* (13) apetendi *CV.* (14) competebant *C.* (15) scribens ait *V.* ellatus *CV.* (16) domini *V.* (17) apperientur *C.* (18) sientes *V.*

nisi propriæ potestatis amor ipsam invasisset, qui rivus ex superbiæ fonte procedit. Ne ab Augustino discedam, dum voluit Eva rapere divinitatem, perdidit felicitatem. Et verba illa: *Si Adam non peccasset* &c. me in sen- 5 tentia confirmant; quia ita fortasse peccavit Eva, quod veluti dæmones non meruerunt redemptionem, ita fortasse Eva. Ioci tantum causa loquor, sed felix fuit Adæ culpa, quæ talem meruit habere redemptorem. Et ne 10 tandem a scriptis tuis discedam, omnes pœnas viri patitur mulier, et quia multiplicatæ sunt eius ærumnæ, non solum moritur, vescitur sudoris pœna, prohibetur per Cherubim et flammeos gladios accessu paradisi, 15 sed ultra omnia quæ communia sunt sola cum dolore parit et viro subdita est. Sed quia in tanta re non est satis tua confutasse, nisi etiam nostra confirmemus, credidit Eva deo similis fieri et invidens optavit quod spi- 20

(2) *Punctum post* proc. *ego addidi.* (3) recedam *V.* (5. 6) in sentenciam *CV.* (8) tamen C. (10. 11) Et ut tamen a scr. t. non disc. *C.* (13) erumpne *V.* (15) flumineos *C*, flamineos *V.* acessu *V.* (16) set *V.* comunia *V.* (17) set *V.* (18) satis est *V.* (19) confirmem *V.*

ritum sanctum lædit. Omnis etiam Adæ culpa Evæ ascribitur, quia Aristotile teste quidquid est causa causæ est causa causati; immo omnis prima causa plus influit in effec-
5 tum quam secunda; principium enim eodem Aristotile teste in quocumque genere maximum dicitur, immo plus quam dimidium totius habetur. Et in Posterioribus: propter quod unumquodque tale et illud magis; sed propter
10 Evam peccavit Adam, ergo multo magis peccavit Eva. Item sicuti melius est bene facere quam bene pati, ita deterius est male suadere quam male suaderi; minus enim peccat, qui alterius exemplo peccat, quia quod
15 exemplo fit id quodam iure fieri dicitur. Ex quo vulgare illud dici solet: quod a multis peccatur inultum est. Et si pari gloria se dignos existimassent, Eva inferior magis recessit a medio et per consequens
20 magis accessit ad peccatum. Facilius etiam potuit socia amicissima virum decipere quam

(3) quicquid C. (4) imo *CV*. (5) quam *om. V*. (7) imo *V*. (8) quod *omm. CV*. (9) set *V*. (10) multo *om. V*. (10. 11) Eva pecc. *V*. (11) sicut *V*. (13. 14) peccant qui ex. alt. peccant *V*. (16) vulgaris *V*. (17) Et de p. C. (19) per contrares (?) *V*.

turpissimus serpens mulierem. Longius etiam perseveravit, quia prius cœpit, et tanto graviora sunt delicta Gregorii decreto quanto diutius infelicem animam tenent alligatam. Et, ut tandem mea concludatur oratio, causa 5 et exemplum peccati fuit, et in exemplum vehementer Gregorius culpam extendit; et causam ignorantium Iudæorum, quia prima fuit, magis damnavit Christus, qui errare non poterat, quam sententiam Pilati doctioris, 10 cum dixit: *Maius peccatum habent qui me tibi tradiderunt* &c. Cui sententiæ acquiescendum omnes qui Christiani nuncupari voluere putaverunt, tu vero Christianissima ipsam rationibus comprobabis. Vale et ne 15 timeas et aude multa, quia plurima optime didicisti et doctissime scribis.

Isota. Decreveram me tecum amplius non

(2) cepit *CV.* (4) aligatam *V.* (5) concluditur *V.* (6) pecati *V.* (7) Inde a voce *culpam* usque ad *fidem placitam facient* (p. 208, 10) codicis Laurentiani *(L)* collationem habemus beneficio Nicolai Anziani Bibliothecæ Laurentianæ præfecti illustrissimi. (9. 10) qui err. non poterat *om. L.* (10) doctoris *V, om. L.* (12) etc.] et *L, om. V.* aqu. *V.* (13) crist. *V.* nuncupare *V, om. L.* (14) crist. V. (15) et me *V.* (18) Isotta *L,* ISTTA *V,* Eiusdem dne Ixote ad eundem dominum Aloisium *C.*

inire certamen, quia, ut inquis, mea castra meis iaculis oppugnas. Ita ea quæ ad me dedisti perfecto et solerti studio disputata sunt, ut eis obici non a me, sed a quibusvis 5 doctissimis viris difficillimum sit. Verum cum hoc certamen utile mihi esse cognoscam, decrevi huic tuæ honestæ voluntati morem gerere; licet autem incassum certare cognoscam, tamen mihi summa laus erit a te viro 10 fortissimo superari.

Eva ignorans inconstansque peccavit, ex quo tibi gravius peccasse videtur, quia ignorantia eorum quæ scire debemus nos non excusat, quia scriptum est: *Ignorans* 15 *ignorabitur.* Concedo, quum hæc ignorantia crassa fuerit vel affectata, sed ignorantia Evæ a natura fuit insita, cuius naturæ ipse deus est auctor et conditor. Nam in pluribus hoc videtur, quia qui plus ignorat

(3) profecto C. (4) sut C. obiici C, obicere *L.* set *V.* quibusdam C. (5) doctissimus iuris *V.* difficilimum C. (6) *Verba* cognoscam . . quod aliqua (p. 207, 4) *in V lacuna hausta sunt.* (7) tue huic *L.* (8) autem *om. L.* (9) mihi tamen C. (15) hic C. (16) ign. fuerit missa *L.* (17) Evæ de qua loquimur fuit a natura *L.* (18) condictio C, conductor *L*, *correxi ex editione anni* 1563 *(E)* (19) quis plus C.

minus peccat, ut puer sene, rusticus nobili; ad quem salvandum non expedit, ut ea sciat quæ pertinent ad salutem explicite, sed implicite, quia sola fides sufficit; pari enim gressu ratio inconstantiæ procedit. Et cum 5 dicitur: De inconstantia vero procedentes operationes vituperabiliores sunt, intelligitur de inconstantia, quæ non est secundum naturam, sed secundum mores et vitia. Similiter de imperfectione; cum enim augentur dona, 10 rationes etiam crescunt donorum. Deus quum hominem creavit, ab initio creavit illum perfectum et animæ eius potentias perfectas, et dedit ei maiorem veritatis rationem et cognitionem, maiorem quoque 15 sapientiæ profunditatem, ita ut dominus adduceret cuncta animantia terræ et volatilia cæli ad Adam, ut ea suis nominibus

(1) rustico nobilis C. (2) sciant C. sciat ea L. (3) explicio L. sed impl. *om.* L. (4) sola *in fine versus om.* C. (4. 5) pari gressu procedit ratio in inconstantia L. (6) vero L, nec E, non C. (10) cum enim] ratio quia cum L. (11) etiam *om.* C. (11. 12) Deus enim quando cr. hom. L. (14. 15) ei m. rationem et veritatis cognitionem et maiorem pr. sapientiæ L. (16) Domini L. (18) ut appellaret nominibus suis L.

appellaret. Unde dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris et volatilibus cæli et bestiis terræ universæque creaturæ,* denotans ipsius perfec-
5 tionem. De muliere vero dixit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et quia beatitudo est cum consolatione et gaudio, solatium autem et gaudium non potest quis habere solus, vide-
10 tur quod deus eam creavit ad viri consolationem, quia bonum est sui ipsius diffusivum, et quanto maius tanto magis se communicat. Ergo maius videtur peccatum Adæ. Ambrosius: *Quo indulgentior liberalitas, eo*
15 *inexcusabilior est pervicacia.*

«Custodia autem Adæ commissa sociam non excusat, quia fures, quorum opera pater familias confidens utitur, ultimo supplicio non puniuntur, veluti extranei et illi de qui-
20 bus nulla est habita confidentia». Verum est hoc in legibus temporalibus, sed non in

(7. 8) est consolatio et gaudium, solacium C. (10) qui C. cr. eam ad cons. viri *L.* (13) videtur maius *L.* (17) opera *om.* C. (18) suplicio C. (19) exnei C. (21) in *post* sed non *om.* C.

divinis; nam iustitia divina aliter in puniendo procedit quam temporalis.

«Fragilitas autem mulieris non fuit peccati causa, sed inordinatus appetitus appetendi id quod naturæ suæ non competebat» — 5 quod procedit, ut scribis, ex superbia. Minus tamen peccatum videtur scientiam appetere boni et mali, quam transgrediendi præceptum divinum, quia appetitus sciendi est quoddam naturale et omnes homines 10 a natura scire desiderant. Et licet primus motus fuerit appetitus inordinatus, qui sine peccato esse non potest, tamen tolerabilius est quam transgressionis peccatum; nam mandatorum observantia est via qua itur ad 15 salutis patriam: *Si vis ad vitam ingredi, serva*

(1. 2) procedit in puniendo *L.* (2) *Post* temporalis *add. L* : «quia iustitia temporalis respicit ad damnum publicum: iustitia vero divina respicit ad gravitatem delicti. Unde magis punitur uxoricida quam patricida licet magis peccet patricida. (3) fragilitatis C. etiam *L.* (4. 5) causa pecc. *L.* (5) suae *om. L.* (6) ex sup. ut scr. *L.* (7) peccasse *L.* (7. 8) appetere scientiam *L.* (11) pronus *L.* (12—14) qui non potest esse sine peccato sicut in Eva, tamen tollerabilius est quam peccatum transgressionis *L.* (13. 14) est tollerabilior C, tollerabilius est *L.* (15) obs. mand. *L.* (16) salutis *ex E addidi.* in vita *L.*

mandata. Item: *Quid faciendo vitam æternam possidebo? Serva mandata.* Et transgressio proprie oritur ex superbia, quia superbia nihil aliud est quam regulæ divinæ nolle
5 subiici, quam extollere se supra id quod secundum regulam divinam præfixum est dei voluntatem contemnendo et suam adimplendo. Item Augustinus de natura et gratia: *Peccatum est voluntas consequendi vel*
10 *retinendi quod iustitia vetat, id est nolle quod deus vult.* Cui concordat Ambrosius in libro de paradiso: *Peccatum est transgressio divinæ legis et cælestium inobœdientia mandatorum.* Ecce quia transgressio et inobœdientia cæ-
15 lestium mandatorum est maximum peccatum, cum peccati sit ista definitio: Peccatum est inordinatus appetitus sciendi. Ergo maius videtur peccatum transgressionis præcepti quam boni et mali scientiam appetere; —

(1) eeternam *L.* (4. 5) nolle subiici reg. div. *L.* (5) quam *E*, quia *C*, sed *L.* sese *C.* (6) sec. reg. div. *om. L.* (7) vol. dei *L.* suam vero ad. *L.* (8) et *om. L.* (10) nole *C.* (11) Cui *C*, Et *E*, Unde *L.* (13) cæl. *om. L.* (15) m. percatorum *L.* (16) diffin. *C.* def. et non dicitur pecc. *L.* (17. 18) Ergo magis videtur peccasse Adam *L* (*qui om. celera usque ad* natura persuasum, p. 203, 5).

licet inordinate appetere sit peccatum, sicut in Eva, quæ tamen non appetivit se esse deo similem in potentia, sed in scientia tantum boni et mali, sed quod sibi erat etiam a natura persuasum. 5

Quod autem verba illa: *Si Adam non peccasset,* te in sententia confirmant, quia ita fortasse peccavit Eva, ut non meruerit redemptionem veluti dæmones, dico, quod et ipsa cum Adam redempta fuit, quia *os ex* 10 *ossibus meis et caro de carne mea.* Et si deus eam apparenter non redemit, hoc fuit indubie, quia deus pro nihilo peccatum illius æstimavit. Nam si redemptionem meruit homo, multo magis mulier propter delicti parvita- 15 tem. Nam in angelo non fuit per ignorantiam excusatio, sicut in muliere; angelus enim sine

(2) se *ex E addidi.* (7) in sententiam *CL, corr. ex E.* (8) quod non *L.* meruit *C,* (9. 10) dæmones quæ cum Adam redempta fuit quia *L.* (9) dico *E,* dato *C, om. L.* (10) ex] de *C.* (11) *Post* mea *L hæc inserit:* Unde Ambrosius utrumque enim sexus Dominus advenerat curaturus et prius sanari debuit qui prius est creatus. Nec prætermicti illa debuit quæ mobilitate animi magis quam gravitate peccaverat. (11. 12) Ergo si deus apparenter eam *L.* (12) indubie *om. L.* (13) extimavit *C,* non existimavit *L.* (14) Unde si homo meruit redemptionem *L.* (15) parv. del. *L.* (16. 17) exc. per ign. *L.*

inquisitione et discursu intelligit et intellectum habet magis deiformem quam homo, cui similem dici potest Eva appetisse. Unde angelus dicitur intellectualis et homo rationalis, et
5 ubi mulier ex appetitu scientiæ, angelus peccavit ex appetitu potentiæ. Modo omnimoda visionis scientia potest creaturæ communicari, sed non omnimoda potentia dei et animæ Christi. Item mulier peccans de
10 venia cogitavit, credens illud utique esse peccatum, sed non tantum, quod deberet deus talem inferre sententiam et pœnam; angelus autem non cogitavit. Unde Gregorius IIII.° Moralium: *Primi parentes ad hoc*
15 *requisiti sunt, ut peccatum quod transgrediendo commiserant confitendo delerent.* Unde serpens ille persuasor, quia non erat revocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Ergo

(1) in qui si ratione C. (1. 2) habet intell. *L.* (2) cui *E*, quem C. (2. 3) cui — appetisse *om. L.* (3) angelus *om. L.* (4—6) homo dicitur rat. item m. peccavit ex app. sc. sed ang. ex app. scientiæ *L.* (8) et C, ut *E*, neque etiam *L.* (9. 10) cog. de venia *L.* (10) utique *om. L.* (10. 11) esse malum s. C. (11. 12) deus deberet inferre talem sent. et p. *L.* (13) ang. autem non cog. *om. L.* (16) unde et serp. *L.* (18. p. 205, 2) Ergo Eva meruit redemptionem quam non dæmones *L.*

videtur Eva magis meruisse redemptionem quam dæmones. — Quod autem mulier omnes pœnas viri et ipsa patiatur et ultra ea quæ communia sunt sola parit cum dolore et viro subdita est, etiam hæc me in sententia 5 confirmant, quia, ut dixi, omne bonum est sui ipsius diffusivum, et quanto maius tanto magis se communicat. Ita et malum quanto maius tanto magis se communicat, et quanto magis se communicat tanto magis nocet, et 10 quanto magis nocet tanto maius est. Item secundum mensuram delicti erit et plagarum modus. Unde Christus voluit in cruce mori, licet turpissimum et atrocissimum genus mortis fuerit, in qua sustinuit generaliter omnes 15 passiones secundum genus. Unde Isidorus de trinitate: *Unigenitus dei filius ad peragendum mortis suæ sacramentum consummasse se omne genus passionum testatur, cum inclinato capite emisit spiritum.* Ratio: quia pœna debebat 20

(2. 3) mulier patitur omnes pœnas viri et ultra *L.* (4) ipsa sola *C.* (5) etiam hæc et me *L.* in sententiam *C.* (7) m. est tanto *C.* (8. 9) ita et m. qu. m. t. m. se communicat *om. C.* (15.16) omnes pass. gener. *L.* (16) Unde *om. L.* Isodorus *C.* (18) consumasse *C.*

culpæ correspondere. Adam tulit pomum ligni vetiti, Christus passus est in ligno et sic satisfecit. Augustinus : *Contempsit Adam præceptum*, et non dixit Eva, *accipiens ex arbore pomum, sed quidquid Adam perdidit, Christus invenit*. Psalmo LXIIII.°: *Quæ non rapui tunc exsolvebam*. Ergo peccatum Adæ fuit maximum, quia pœna correspondens culpæ fuit maxima et fuit generalis hominibus. Apostolus: *Omnes peccaverunt in Adam*.

«Omnis et Adæ culpa Evæ ascribitur, quia teste Aristotile quidquid est causa causæ est causæ causati». Hæc vera sunt in his quæ sunt, ut melius nosti, aliorum per se causæ, quod par est de causa prima, principio primo, et propter quod unum quodque tale. Quod non vides in Eva fuisse, quia Adam vel liberum habuit arbitrium, vel non; si non habuit, nullum peccatum habuit; si habuit, ergo Eva coegit illud, quod fieri non potest. Nam Bernardus: *Liberum arbitrium*

(3) contemsit *C*. (5) quicquid *C*. (9) hominibus *om. L*. (12) quicquid *C*. (13) hiis *L*. (18) vel Adam habuit liberum *L*. (19) habuit *om. L*. (20. 21) quod non est possibile. Nam *L*.

pro ingenita nobilitate a nulla cogitur necessitate, neque a deo, quia si sic, esset dare duo opposita stare simul. Non potest igitur deus facere quod aliqua operatio a libero procedat arbitrio ipso manente, et non libere 5 sed coacte fiat. Augustinus super Genesi: *Non potest deus facere contra naturam quam bona voluntate instituit.* Posset autem deus ipse auferre illam libertatis conditionem ad utrumlibet et dare aliam, sicut non potest ignis 10 ignis manens non comburere nisi talis natura mutetur et ad tempus suspendatur virtute divina. Ergo minus alia creatura a deo, ut angelus bonus vel diabolus; multo minus femina, quæ imperfectior et debilior est iis. Et 15 assignat Augustinus rationem dicens: *Supra*

(1) necessitate cogitur *L.* (2) quia sic esset *E, fort. recte.* (4) *A voce* operacio *iterum incipit codex Veronensis.* (4. 5) procedat a libero arbitrio *L.* (5) libero *V.* (6) set *V.* cohacte *L,* quoacte *V.* Genesim *L.* (7) qua *L.* (8) Bene tamen posset Deus *L.* (9) aufferre C. conditionem lib. *L.* condict. C. (10) utrunlibet C. illam C, alienam *L.* (11) *altesum* ignis *ex E addidi.* permanens *V.* (12) susp. ad tempus *L.* (13) id potest *add. E ante* alia. (14) vel] et V. diabolus] malus et *L.* (15) imp. est et his debilior *L.* hiis *V.* (16) super C.

mentem nostram nihil præter deum, nec inter deum et mentem nostram est aliquid medium. Cogens autem oportet quod sit supra id quod cogitur; sed Eva fuit inferior Adam,
5 ergo non fuit ipsa causa peccati. Ecclesiastici XV.°: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit eum in manu consilii sui adiecitque mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te et fidem placitam*
10 *facient.* Unde Adam accusare deum potius visus est quam se excusare, cum dixit: *Socia quam dedisti mihi fecit me peccare.*

Quod autem facilius potuerit amicissima socia virum decipere, quam turpissimus ser-
15 pens mulierem, multo minus peccavit Eva debilis et ignorans secundum naturam, dico,

(1) nil *V.* (1. 2) *Verba* nihil pr. d., nec inter d. et mentem nostram *bis scripta sunt in* C. (2) m. meam est *V.* aliquod C. (3) oportet; videlicet *V.* (4) set *V.* (5) ergo ipsa n. f. c. p. *V.* erga *L.* *Post* peccati *add.* *L*: Item parte quicquid est causa cause est causa causati et prima causa parte plus influit in effectum quam secundaria. Sed diabolus fuit causa cause, ergo fuit causa causati. Et non Eva. Ecclesiastes *L.* (6) in. creavit Adam hom. *V.* (7) reliquid *V.* sui *om.* *L.* (9) conservabit C. (9. 10) et facient fidem placidam *V.* (10) *Cum voce* facient *deficit collatio libri Laurentiani.* (12) d. nihil f. *V.* (14) s.veterum d. *V.* (16) ignorans: sed naturam C.

astutissimo illi serpenti assentiendo, qui interpretatus est sapiens, quam Adam a deo in perfecta scientia et cognitione creatus persuasionem et vocem imperfectæ mulieris audiendo. 5

Quod autem longius Eva perseveraverit, ergo magis peccaverit, quia tanto graviora sunt delicta quanto diutius infelicem animam tenent alligatam, scilicet verum est, cum peccata sint paria et in eodem vel in 10 simili. Sed Adam et Eva non fuerunt pares, quia Adam animal perfectum et Eva imperfectum et ignorans.

Tandem, ut te auctore utar : «Mulier exemplum et causa peccati fuit, et in 15 exemplum vehementer Gregorius culpam extendit, et causam ignorantium Iudæorum, quia prima fuit, magis damnavit Chri-

(1) assentiendo *scripsi*, assentiri C, assentire *V*. (2. 3) deo imperf. C (?) *V*. (6) autem *om. V*. (7) peccavit *V*. (8) diutius *de meo addidi ex p*. 197, 4, qu. d. inf. an. t. all. *om. V*. (9) *scil. om.* C. (10) sunt C. (11) set *V*. (12) perf. an. *V*. (13. 14) *in CE punctum non ante* tandem, *sed ante* mulier *legitur, in V nullum est signum*. (15) fuit pecc. C. (16) vehementer *om. V*. (18) maius *V*. dampnavit Cristus *V*.

stus quam sententiam Pilati doctioris, cum dixit: *Propterea qui me tibi tradidit maius peccatum habet.*» Dico, quod Christus causam ignorantium Iudæorum non damnavit
5 quia prima fuerit, sed quia erat ex propria malitia atque obstinatione prava et diabolica. Non enim ex ignorantia peccabant, quia magis ignorans de his erat Pilatus gentilis, quam Iudæi, qui legem et prophetas habe-
10 bant et legebant et de eo quotidie signa videbant. Nam Ioannis XV.°: *Si non venissem et loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Unde ipsi dixerunt: *Quid*
15 *facimus, quia hic homo multa signa facit?* Item: *Dic nobis palam, si tu es Christus!* Nam populus iste peculiaris erat deo et ipse Christus: *Non sum missus nisi ad oves Israel,*

(1) doctoris *CV.* (3) Dico per causam ignor. *V.* (4) dampn. *V.* (5. 6) set quia ex pr. malicia fuerit *V.* (6) dyab. *V.* (10) eo tot quot. *C.* quottidie *V.* (11) Nam p°. Io. XV. *C*, cf. p. 212, 4. venisset *V.* (12) loqutus *V.* fuisset *V.* (12.13) haberet *V.* (13) aut *C.* (14—16) Qu. f. quia habet &c. Item *V.* (16) Cristus *V.* (17) pecc. *V.* (17. 18) ipse iesus quare non *V.* (18) Israelis *V.*

quæ perierant. Non est bonum sumere panem de manibus filiorum et dare canibus. Ergo magis peccaverunt Iudæi, quia plus eos Iesus diligebat. Et hæc a me femina inermi et paupercula dicta sufficiant. 5

Lodovicus. Ita omnia divinissime complexa es, ut nedum ex philosophantium et theologorum fontibus, sed ex cælo tua scripta collapsa credere possimus. Idcirco ea potius laude quam contradictione digna sunt. 10 Ne tamen cœpta utilitate frauderis, accipe quæ brevissime in diversam sententiam dici possunt, ut melliflua paradisi semina iactes, quæ legentes delectent et te gloria illustrent.

Ignorantia Evæ crassissima fuit, quia maluit dæmoni quam creatori fidem præstare. 15 Quæ quidem ignorantia ex eius delicto, ut sacra testatur historia, processit, immo pecca-

(1) assumere panem &c. *V*, *qui om. verba* de m. f. et d. can.; filiorum *ante* de m. *induxit manus prima in C, et deest* de man. *in E.* (4) hoc *V.* introni *V.* (5) suficiant *V.* (6) Eiusdem domini Aloisii ad eamdem dominam Isotam *C.* clementissime *V.* (7) philosofancium *V.* (8) set *V.* (8.9) celo t. scr. colapsa *CV.* (10) condictione *V.* (11—13) accipe breviter que inclusam sentenciam elici p. *V.* (13) meliflua *CV.* femina *V.* (15) carsiss. *V.* (16) quam creatori *bis habet C.* (18) yst. *V.* immo] Ioannis *V.*

tum non excusat. Immo, si verum fateri licet, extrema dementia fuit non manere in terminis, quos deus optimus sibi constituerat, vanaque spe ducta caruit habitis et ambitis.
5 Et ne illa dividam, quæ tu prudentissime coniunxisti, inconstantia Evæ damnata moris fuit et non naturæ; quia in his quæ a natura insunt, nec laudamur nec vituperamur sapientissimorum philosophantium iudi-
10 cio. Optima fuit etiam mulieris natura et rationi, generi, tempori obœdiens, quum veluti feris dentes, armentis cornua, volucribus pennæ datæ sunt ad vitam, ita mulieri ratio ad retinendam et consequendam animæ
15 salutem sufficiens.

Si ad viri adiutorium, perfectionem, solatium et gaudium Eva naturaliter creata fuit, contra leges se gessit viro labores, imperfectiones, tristitias et mœrores submini-
20 strando, quæ scelera gravissima fore sacra

(1) Imo *V.* (3) opt. deus *C.* (6. 7) dampnata fuit moris *V.* (7) et *om. V.* (11) genere tempore *C*, tempore generi *V*, *om. E.* (12) armentas *V.* (13) pene *C.* (15) salutis suficiens *V.* (16) adiuct. *V.* (17) naturaliter *om. V.* (18) contra naturæ leges *C.* (19) et *om. V.* merores *CV.* (20) gravissimo *V.*

decreta sanxerunt. Nec humanæ leges diutissime clarissimorum virorum ingeniis digestæ sine certa ratione instituerunt, quod alienæ rei contractatio quanto magis fit contra domini voluntatem, tanto graviorem 5
pœnam meretur.

Quod scribis de mandatorum transgressione Evam non liberat, quæ nec ipsa servavit. In quo autem differant peccatum angeli et hominis, latissimus campus est 10
et veluti tuo clarissimo ingenio dignissimus cibus, ita hac temporis angustia longe amplior. Quomodo autem rationi bonitatis summi dei convenire sentias maiora mala illis qui minus peccavere diffundere, non 15
bene concipio. — Nimium stringis Aristotilis testimonia ad primas causas, nam omnis causa causæ est causa causati, et quia liberi arbitrii fuit Adam, non facio ipsum delicti inmunem, et licet omnis Adæ culpa quadam ex 20
parte Evæ per me ascripta sit, non tamen omnis et omnimoda causa Evæ fuit. — De libero

(1) sanxere *V.* (2) degeste *V.* (4) fuit *V.* (6) merentur *C.* (7) trasgr. *V.* (9) In qua *V.* differat *C.* (12) hat *V.* (13) Quem autem *V.* (14) dei summi *C.* (20. 21) experte *V.*

arbitrio et bonitate naturæ non contradico. — De facilitate consensus viri dictis mulieris volo sexus illius deceptiones ad te scribens silentio præterire, sed hoc vetustissimo verbo
5 mea firmetur ratio: Nulla pestis efficacior est ad nocendum quam familiaris inimicus. Magnum prima mater excitavit incendium, quod nondum nostra ruina extinctum est. Hoc maximam gravitatem peccati significat.
10 Nam veluti illæ corporis ægritudines sunt difficiliores quæ minus sanantur, sic animi vitia. — Si ego dixi, non audias; asperneris et contemnas, si Augustinus pari fastu concludit: *Ratio quanto diutius* &c. Passionis
15 historiam legamus et somnia uxoris, verba Pilati, manuum lotiones, iudicandi fugam, et eum magis quam Iudæos intellexisse sententiam iniustam fatebimur. Ex quibus patet argumentorum nostrorum vires non deficere.
20 Hæc paucissimis verbis explicavi, tum

(2) facite *V.* viris *V.* (3) deceptionis *V.* (4) scilentio *CV.* (5) nostra f. *C.* (7) magna *V.* (8) nundum *CV.* (9) Hoc; nec *V.* (12) vicia *CV.* (13) contempnas *V.* faustu *V.* (14) &c. *om. V.* (19) nostrorum *om. V.* defficere *V.* (20) Nec p. v. explicari *V.*

quia papirum transmissum iussus sum non excedere, tum quia apud te peritissimam loquor. Nolo enim tanti itineris tibi, cui ex summa bonitate omnia clarissima patent, dux esse. Unus profecto, apud nos in terra veluti 5 quædam vitæ cælestis imago, digitum, ut aiunt, ad fontes intendi, et quamquam apud alios hæc mea dicta obscuritatis vitio laborarent, si apud te clarissimam accedent et prioribus tuis ac meis scriptis iungentur, 10 apertissima fient, illustrabuntur et radiabunt in tenebris. Atque ea si ineptissima erunt, tuo studio facies ingenio, virtute, gloria tua esse dignissima, quæ te semper veluti milites tubarum clangoribus sic sacris eloquiis ad 15 nova prœlia instructiorem paratioremque offers, contra me quidem, qui omnem mearum cogitationum summam legendo et eodem, ut aiunt, spiritu scribendo converti, ut osten-

(1) transmissam *V*. (2) paratiss. *V*. (3) tui ex *V*. (5) interea *V*. (6) celesti *V*. ymago *C*. (7) fontem *V*. (8) nostra hec dicta *C*. vicio *C*, viro *V*. (10) vigentur *V*. (11) fient serie *V*. (13) gl. tua *om*. *V*. (14) esse] etiam *V*. (15) elloq. *C*. (16) instructorem *V*. (17) qui dom *C*. (18) cogitaciones *V*. sumam *CV*.

dam quod sentio et defendam quod scribis, licet pluribus negotiorum tempestatibus et fluctibus undique iacter. Vale.

FINIS.

(1) quia sencio *V*. (3) vale] Finis *V*.

ISOTAE NOGAROLAE

VERONENSIS, DIALOGVS,

QVO, VTRVM ADAM VEL EVA
MAGIS PECCAVERIT,
QVAESTIO SATIS NOTA, SED NON
ADEO EXPLICATA,
CONTINETVR.

AL DVS

VENETIIS, M. D. LXIII.

BERNARDO NAUGERIO,

CARDINALI AMPLISSIMO,

FRANCISCUS NOGAROLA COM.

S. P. D.

CUM primum de Veronensi episcopatu tibi delato, Cardinalis amplissime, nobis renuntiatum est, suo quisque lætitiæ impetu actus est, sua quemque tuarum laudum commemoratio delectavit. Occurrebat alii tuæ virtutis atque doctrinæ præstantia, alii vitæ singularis innocentia et suavitas morum; liberalitatem alius, alius fortunam suspiciebat, nec deerant, qui tuas tuorumque res præclare gestas recenserent. Mihi vero omnibus læti-

Accuratam principis editionis, quam *E* signo notavimus, imaginem repræsentavimus, nisi quod præeunte nonnunquam editione anni 1851 *(e)* interpunctionem tacite correximus, locos ex sacra scriptura et ex scriptoribus ecclesiasticis citatos inclinatis litteris imprimendos curavimus, neque ut *arbitrij à quàm liberè* similia retineamus sustinuimus.

ISOTÆ NOGAROLÆ
VERONENSIS DIALOGUS,

Quo, utrum Adam vel Eva magis peccaverit, quæstio satis nota, sed non adeo explicata, continetur.

NAUGERIUS, PROTONOTARIUS, ISOTA.

Cum ego huc pervectus hesterno vespere equo descendissem ambulatiunculaque per latam illam porticum hortis oppositam recrearer, inter multa, quæ mirifice spectanda undique occurrebant, prospexi ad sylvæ limites, sublicium pontem in medias prætereuntes undas proiectum, quem structum puto non modo ad percipiendam amici frigoris voluptatem, sed etiam ad fallendos æstivos dies, ut fit inter frugi homines, doctissimis sermonibus. Rapuissem me illuc repente, nisi nox iam præceps vetuisset. Cur itaque nunc, ne irrepat meridianus sopor, eo non confugimus? Pro. Nuper iusseram ibi cœnam pa-

rari; propterea in id tempus accessum nostrum reieceram, verum, ut lubet, accedamus. NAUG. Videsne, ut erat nostra reprehendenda cunctatio? Quandoquidem diligentissima fœmina manibus libellum tenens 5 nobis iam locum præripuit. PRO. Ea est, ni fallor, Isota soror; illic suos locavit iucundiores recessus, ac mirum, quod absit altera soror Ginebra, quæ, cum illi paribus studiis coniuncta sit, eisdem etiam recessibus delec- 10 tari solet. At vereor, ne turbato ocio discessum paret. NAUG. Tuam, Isota, obtestor benignitatem, ne adventum nostrum perhorrescas neque ei instantem lætitiam discessu tuo intercipias; siquidem non tam huc ac- 15 cessimus, ut horum nobilitatem locorum nos uni non ignoraremus, quam ut te ipsam, cuius cultu et assiduitate hæc videntur tum nobiliora tum etiam lætiora, inviseremus. ISO. At vel huius sermonis exordio, vir clarissime, 20 fugam hortaris; verendum enim est, ne tua ista singularis humanitas hac vel una in re nobis perspecta, quod deditissimorum tibi clientum villulas obire non es dedignatus, eo etiam progrediatur, ut earum laudum cumu- 25

los in me effundat, quas nec pudor nec forte aures meæ ferre possint. PRO. Consiste, quæso, præter tanti viri auctoritatem rogatu etiam meo; tibi profecto tam honestis iussis parendo quam adversando maior modestiæ laus accedat. ISO. Utut sit, parebo, et vos interim hanc pontis regionem occupate, unde ego mira cum voluptate luctantes inter se pisces modo intuebar, fruens ardui et ad utramque ripam dispositi alneti opacitate, lectissimorum florum odore, sexcentarum volucrum cantu. Utinam citius aliquanto affuissetis! Vos triginta fere phasianorum prætervolatus, quos attigi pæne vertice, incredibiliter delectasset. NAUG. Quas narras, quas video delicias! Non alias fuisse in illis felicibus campis existimo, quos prisca ætas terrestrem paradisum vocavit. Quotusquisque vel tristis vel parum firmo corpore hic non exhilaretur, hic non convalescat? PRO. Ego (mirum audite) longe seorsum ab aliis affici soleo huiusmodi deliciis; ut enim mihi venit in mentem earum citissimi lapsus, ob commune adventans fa-

(10) utrumque *e*.

tum tamquam canis crocodillorum metu Nili aquam in cursu bibens totus excrucior nec quieto animo quicquam degusto. Aliqua certe felicitatis species humanis rebus contingit; sed quando hæ nulla diuturnitate cohærent, illa quoque intereat necesse est. Atqui iamdiu, ex quo priores illi humani generis parentes a dei mandatis discessere, omne felicitatis nomen amisimus. Proh miserrimam calamitatem, ut unius viri, unius mulieris culpam luat posteritas omnis! Iso. Vide tamen, utri ipsorum parentum culpa magis sit adscribenda; nam ego Adam unum accusandum semper existimavi. NAUG. Atat contra, si vir esses, Evam accusares. Iso. Immo, si mihi a natura alterutrius sexus optio detur, adhuc fœmina esse malim, ut ab Adæ crimine longius abessem. PRO. Scilicet in eam quæstionem sensim illabimur, ad quam iamdiu Isotam multa excogitasse memini seque ad dimicandum pulcherrimis armis instruxisse; propterea non est a nobis fortasse imparatis temere ineunda pugna. NAUG. Plu-

(1) crocodilorum *e*. (17) daretur *e*. (19) semsim *E*.

rimam habeo huic loco huicque sermoni
gratiam, qui eam nobis materiam obtulerit,
quam a theologis vel anguste vel confuse
nimis tractatam a mulierum etiam patronis
5 vel a muliere ipsa aliquando explicari iamdiu
optavi. Quam autem ex mulierum ordine ad
hoc munus te aptiorem, Isota, reperiam?
Quamobrem dum et meridiei ocium et loci
amœnitas invitat, dic, age, ut emissaria in
10 hoc certamine, quibus iuribus magis Adam
quam Evam accusandum censeas? Ipse, ut-
cumque potero, Adam non deseram, idem-
que facturum confido Protonotarium tibi
sane generis propinquitate, mihi vero sexus
15 nobilitate coniunctum. Iso. Maiora a me
exigis, quam quæ contra fortissimos viros
inermis fœmina præstare possit. Dicam ta-
men quæ a me aliquando excogitata non
inficior, nec ad quæstionum argutias, sed ad
20 veritatis statuendum iudicium parata. Quan-
quam ordinis æquitas postulat, ut tu, qui ad
accusandum, frater, proruisti, priore etiam
loco dicere incipias. Subiiciam deinde vel
refellendo vel enarrando, quantulacumque
25 ingenii ac memoriæ vis exigua subministrabit.

PRO. Aggrediar, te tamen præmonita, ne quæ ad tuendam veritatem in tuum sexum argumenta effundam, tu facile convicia suspicere. Inter nos bene agier oportet. ISO. Idem tibi profecto curandum; paria enim mihi sunt 5 quæ paribus referam. PRO. Si qua peccati gravitas maior altera esse potest, Evam damnabiliorem fuisse quis non videt, utpote a iusto iudice duriori pœna damnatam? Pœna enim exigitur, ut inæqualitas commissæ in- 10 iustitiæ ad æqualitatem reducatur; æqualitas autem quantitatem consequitur. Propterea sicut ad ordinationem culpæ exigitur, quod pœna pro culpa inferatur, ita etiam gravitati peccati pœna debet respondere; idque est, 15 quod vulgo dicitur pœnam peccati esse mensuram. c. Sicut dignum, extra de homicidio. Et in Apoc. scriptum est, cap. XVIII.: *Quantum glorificavit se et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Item apud Esaiam legi- 20 mus, cap. XXVIII.: *In mensuram contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudicabo eam,* quia

(4) agere *e.* (16) pœna *e.* (17) *Locus corruptus esse videtur.* (18) scriptum est (XVIII. 7.) *e.* (20. 21) Isaiam legimus cap. XVII. 8. *e.* (22) iudicabis *e.*

dei se similem fieri magis credidit, quod ad
species irremissibilium pertinet peccatorum
in spiritum sanctum. Iso. Accipe nunc tu,
quæ pertinacem quemvis in diversam sen-
5 tentiam facile trahere possunt. Ubi minor
sensus minorque constantia, ibi minus pec-
catum; illud quidem in Eva, ergo minus ab
ea peccatum. Mulier in statu innocentiæ fuit
imperfectior viro non modo quoad corpus,
10 sed etiam quoad animam, et quemadmodum
a theologis accepi, in mulieribus non est
sufficiens robur mentis ad resistendum con-
cupiscentiis. Ideo Salomon ait: *Mulierem for-
tem quis inveniet? Procul et de ultimis finibus*
15 *pretium eius.* Aristoteles etiam mulierem fa-
cilius decipi quam virum asseruit, quod ob
infirmitatem accidere intelligimus. Et facit ad
hoc quod adnotavit Hippocrates, mulierem
ambidextram non esse, quod arguit naturam
20 in constituendo robore ei parciorem quam
maribus fuisse. Sicque verissimum illud Sul-
monensis poetæ carmen est: *Ut corpus tene-
ris, sic mens infirma puellis.* Unde hoc cogno-

(13) ait (Prov. XXXI. 10): Mulierem c. (22) est (Epist. XIX. 7. Hero Leandro): Ut c.

scens serpens ille callidus initium tentationis sumpsit a fœmina, idem in viro propter constantiam se assequi non posse veritus. Stans coram fœmina hostis antiquus non est ausus in verba prorumpere persuasionis, sed sub 5 interrogatione eam alloquitur: *Cur præcepit vobis deus, ne comederetis de ligno paradisi?* At illa: *Ne forte moriamur.* Videns autem diabolus eam de verbis domini dubitantem inquit: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut* 10 *dii, scientes bonum et malum.* Maior præterea apparet in Ada præcepti contemptus; nam Genesis primo videtur dominus Adæ et non Evæ præcepisse, cum dicit: *Tulit ergo dominus deus hominem et posuit illum in paradiso* 15 *voluptatis, ut operaretur et custodiret illum, et præcepit ei,* non *eis: ex omni ligno comede,* et non *comedite, in quocunque enim die com-*

(6) alloquitur (Gen. III. 1) : Cur *e.* precepit *E.* (7. 8) Deus ne com. de omni l. p.? At illa (v. 3): Ne *e.* (10) inquit (v. 4. 5): Nequaquam morte moriemini: et eritis *e.* (13) Gen. secundo (v. 15 et seq.) *e.* (15) illum] eum *e.* (16) illum: et præcepit ei, non eis, dicens: Ex omni l. paradisi comede, et non comedite; de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quoc. enim die com. de eo m. morieris *e*, *recte.*

ederis, morte morieris, et non *moriemini.* Nec mirum, si ad eum tantum directum est præceptum, quandoquidem pluris faciebat virum quam mulierem, unde non vir mulieris
5 gratia, sed mulier propter virum facta legitur. Postquam etenim dominus formavit virum, cum nullum animal homini simile repertum esset, dixit altissimus: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium*
10 *simile sibi, immisitque soporem in Adam; cumque obdormisset, tulit unam de costis eius et ædificavit costam, quam tulerat, in mulierem.* Nec dicendum videtur peccasse mulierem, quod dei similem se fieri magis crediderit,
15 sed propter fragilitatem potius et voluptatem; unde: *Vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis aspectuque delectabile et tulit de fructu illius et comedit deditque viro suo.* At peccatum
20 gulæ iuxta theologorum sententiam inter vitia carnalia computatur, quæ, ut divus

(8. 9) Altissimus (Gen. II. 18. 21): Non est b. esse hominem *e.* (10) Immissit ergo Dominus Deus sop. *e.* (12) aed. Dominus Deus costam qu. t. de Adam in mul. *e.* (16) Unde (Gen. III. 6): Vidit *e.*

Gregorius censet, minoris culpæ existimantur. Præterea nisi Adam comedisset, peccatum ultra progressum non fuisset. Namque si mulier sola peccasset, posteri, si qui nati fuissent, quamquam defectus corporales pas- 5 sibilitatemque contraxissent, non tamen originali culpæ nati fuissent obnoxii neque eos sensissent defectus, qui sunt ex parte animæ, quoniam, ut Aristoteli placuit, corpus non est nisi ex fœmina, anima autem ex masculo, 10 non ita, quod anima rationalis traducatur ex semine, sed quia in semine est virtus formativa, per quam in aliis animalibus inducitur anima sensibilis, in homine vero organizatur corpus et præparatur ad receptionem animæ 15 rationalis. Unde non dicitur: Si Eva non peccasset, Christus humanam speciem non induisset, nec audiendi omnino sunt dicentes, quod si Adam non peccasset, filius dei tamen homo fuisset factus. Ubique enim 20 sacris in litteris incarnationis caussa peccatum adsignatur. Et quamvis mulier cum eo, de quo erat traducta, in paradisi deliciis moraretur, prius ipsa tamen malæ suasionis insultum perpessa est, neque certe generis 25

posteritatem, utcumque se ipsam, læsisset prioris creati hominis assensu non præstito. Cum igitur Eva sibi uni, non posteritati obfuerit, peccatum eius, utpote soli peccanti
5 damnosum, levius est censendum. Homo autem Adam sibi et cunctæ propagationi labem intulit et generandorum actor existens perditionis primus fuit occasio. Quod autem a iusto iudice duriore pœna damnata
10 fuerit, contrarium perspicue apparet; nam dixit deus mulieri: *Multiplicabo ærumnas ſuas et conceptus tuos; in dolore paries filios et sub viri potestate eris.* Adæ vero dixit: *Quod audisti vocem uxoris tuæ et comedisti*
15 *de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes* (præceperat, inquam, Adæ et non Evæ) *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi et comedes herbas*
20 *terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua assumptus es, quia pulvis es et in pulverem reverteris.*

(7) auctor? (11) mulieri (Gen. III. 16 et seq.): Mult. *e.* (14) Quia *e.* (15) preceperam *E.* (19) herbam *e.* (20) tuo *om. e.* (21) sumptus *e.*

Durior itaque pœna Adæ quam Evæ, cum ei, ut videtis, non Evæ dictum sit: *In pulverem reverteris,* quod mortem ultimum terribilium indicat, prout etiam sæculares iudices in plectendis reis capitali pœna graviorem non invenere. NAUG. Impellor equidem ista sæcularium iudicum commemoratione, ut qui inter iudicia assidue verser aliquid de huiusmodi pœnis in medium adducam, et interim Protonotario magnis ictibus lacessito, dum illius orationem anteverto, dabitur ut instructior progrediatur. Cogitanti mihi aliquando de veterum parentum pœnis ea sese obtulit sententia, ut statuerem utrasque æquales esse potius quam alteram altera graviorem. Etenim propter peccatum privati sunt beneficio divino, quo humanæ naturæ integritas in eis conservabatur, ob eiusdemque subtractionem humana natura in varios incidit defectus. Sicque bifariam fuere puniti. Primo cum e terrestri paradiso ambo sunt eiecti (qui locus integritati naturæ illorum congruebat); ideo legitur: *Et emisit eum*

(19) subtractationem *E.* (23) legitur (Gen. III. 23). Et emisit eum Dominus Deus *e.*

deus de paradiso voluptatis. Secunda fuit pœna, cum eis attributa sunt illa, quæ naturæ iam collapsæ speciem sequebantur, et hoc quoad corpus animamque. Sed quoad
5 corpus, ad quod sexus discrimen pertinere dicitur, alia pœna mulieri et alia viro inflicta est. Mulieri quidem quoad duo, dum viro coniungitur, et sunt prolis generatio et operum ad domesticam curam pertinentium
10 communicatio. Propterea mulieri dixit altissimus: *Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos, et in dolore paries;* subdens quoad operum communicationem: *Sub viri potestate eris.* Viro autem dictum legimus: *Maledicta terra*
15 *in opere tuo, in dolore comedes de illa cunctis diebus vitœ tuæ, spinas et tribulos germinabit tibi.* Hæc de pœnis corporalibus. Cæterum quoad animam, triplex illorum pœna describitur. Prima enim quædam confusio fuit,
20 quam ambo passi sunt ex rebellione carnis ad spiritum, quapropter dicitur: *Aperti sunt*

(11) Altissimus (Gen. III. 16): Mult. *e.* (12) et *om. e.* (14—16) legimus: (v. 17, 18): M. t. in opere tuo: in laboribus comedes ex ea c. diebus *e.* (17) Ceterum *e.* (21) dicitur (Gen. III. 7): Aperti *e.*

oculi amborum et cognoverunt se esse nudos. Alia fuit pœna increpatio propriæ culpæ, ibi: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, sciens bonum et malum.* Tertia autem futuræ mortis commemoratio fuit, cum di- 5 ctum est: *Pulvis es et in pulverem reverteris.* Quibus de caussis amborum pœna videtur æqualis. Quod si quis forte ob conceptus partusque incommoda Evæ graviorem pœnam suspicetur, ut advertat oportet gaudio 10 exortæ prolis omnem deleri tristitiam, dicente domino: *Mulier, cum parit, tristitiam habet, cum autem peperit, non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Pro. Adeo scite subtiliterque hæc 15 pœnarum materia percursa est, ut quod mihi tempus ex eo sermone ad cogitandum relictum videbatur totum attentissime audiendo consumpserim. Sed amens sim, si patiar, ut aliqua temporis diductio potius 20 parata iam præsidia auferat quam afferat

(3) ibi (v. 22): Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est *e.* (6) est (v. 19): Pulvis *e.* (12. 13) Domino (Joan. XVI. 21): M. c. p. tr. habet, quia venit hora ejus: cum autem pepererit puerum jam non meminit *e.*

nova. Iam igitur ad istam tuam vehementem disertamque Evæ patronam convertor suismet iaculis ipsius castra oppugnaturus.

Eva ignorans inconstansque peccavit, ex 5 quo tibi levius peccasse videtur. At ignorantia, eorum præsertim quæ scire debemus nos non excusat, quia scriptum est: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Oculos quos culpa claudit pœna aperit. Qui stultus est in culpa, sapiens 10 erit in pœna. Idque tum maxime verum est, cum error ex peccantis negligentia provenit, quomodo ignorantia mulieris nata ex arrogantia non excusat. Aristoteles omnesque præterea qui veram profitentur philosophiam, du- 15 plici pœna ebrios et ignorantes dignos iudicant. Non video etiam, ut tu Evæ ignorantiam excuses, cuius scientiam in Paradiso a summo omnium rerum opifice creatam eadem astruis extimuisse astutissimum serpentem, quia non 20 fuit ausus in verba persuasionis prorumpere, sed sub interrogatione eam est allocutus &c. De inconstantia vero procedentes operationes vituperabiliores sunt. Quemadmodum

(7) est (1. Cor. XIV. 38): Si *e.* (18) eamdem *e.*

enim operationes continuæ, quæ hærentem, quendam et firmatum habitum habent, sunt laude digniores et specie differunt præcedentibus, ita ex inconstantia, cum per se sit peccatum, in alio insita peccato ipsum ma- 5 lum facit deterius. De mala etiam custodia ac regimine Adam non est acriter accusandus neque id Evæ iustam excusationem affert. Quis enim nescit patrem familias facillime decipi ab iis posse, quorum domestica 10 opera fidens utitur? Cum et notissimi iuris sit, mitius a lege cum furibus domesticis quam cum extraneis agi. Consonat mirabiliter huic sententiæ quod apud Ciceronem, dum illius scripta olim frequentius legerem, 15 adnotavi in oratione pro Sexto Roscio Amerino nec adhuc memoria excidit: *Ea sunt,* inquit ille, *animadvertenda peccata maxime, quæ difficillime præcaventur. Tecti esse ad alienos possumus, intimi multa apertiora* 20 *videant necesse est. Socium vero cavere qui pos-*

(4) *Post* inconstantia *hæc excidisse videntur:* procedentes operationes maiori censura puniendæ, quia inconstantia; *cf.* p. 193, 15—17. (17. 18) Ea sunt, inquit, illa animadv. *E*, Ea sunt, iniquit (num. XL.), animadv. *e*.

sumus? Quem etiam si metuimus, ius officii lædimus. — Dicis præterea fragilitatem mulieris caussam fuisse peccati, atqui ego superbiam, quoniam promissio dæmonis fuit scientiæ, 5 quæ arrogantes efficit homines et secundum Apostolum inflat. *Superbia* sacris litteris accusantibus *fuit initium omnis peccati.* Et licet aliæ huius peccati species consecutæ sint, illa tamen principalior, quoniam caro 10 obediens erat homini in statu innocentiæ existenti et minime rationi contraria. Fuit ergo primus motus inordinatus appetendi id quod naturæ suæ non competebat, veluti Augustinus ad Orosium scripsit: Homo ela- 15 tus superbia suasioni serpentis obediens præcepta dei contempsit; dixit enim adversarius Evæ: *Aperientur oculi vestri et eritis sicut dii, bonum et malum scientes.* Nec credidisset mulier, ut idem ait Augustinus super Genesi, 20 suasioni dæmonis, nisi sui augendi status amor invasisset, qui rivus ex superbiæ

(6) Apostolum (1. Cor. VIII. 1), inflat *e.* (2) accusantibus (Eccli. X. 15), est initium *e.* (12) immoderatus *Ee.* (15) serpcntis *E.* (17) Evae (Gen. III. 5): Ap. *e.* (18) dii scientes bonum et malum *e.*

fonte manat. Et ne ab Augustino discedam, dum voluit Eva rapere divinitatem, perdidit felicitatem. Verba quoque illa: *Si Adam non peccasset* &c. me in sententia confirmant; quia ita fortasse peccavit Eva, ut dæmones, 5 qui redemptionem non meruerunt. Iso. Nisi ex tua ista subrisione mihi exploratissimum esset abs te ioco etiam aliquo tentari patientiam meam, non ferrem te ulterius. Pro. Sed felix fuit Adæ culpa, quæ talem me- 10 ruit habere redemptorem. — De paritate pœnæ, quoniam pleraque supra audivimus ad id adducta disertissime, hoc unum asseram, omnes viri pœnas mulierem pati; quin et cum multiplicatæ sunt eius ærumnæ, non 15 solum sudore victum quærit, moritur, prohibetur per Cherubin et flammeos gladios accessu paradisi, sed ultra omnia quæ cum viro illi sunt communia sola cum dolore parit et viro subdita est. Hactenus puto tua 20 argumenta a me satis esse impugnata, nunc ad meorum confirmationem accedo. Credidit Eva deo similis fieri et invidens optavit quod spiritum sanctum maxime lædit. Immo omnis Adæ culpa Evæ adscribitur, quia teste 25

Aristotele quidquid est caussa caussæ est
caussa caussati; immo omnis prima caussa
plus influit in effectum quam secunda; prin-
cipium enim eodem teste Aristotele in quo-
5 cunque genere plus quam dimidium totius ha-
betur. Et idem in Posterioribus propter quod
unum quodque tale et illud magis; sed pro-
pter Evam peccavit Adam, ergo multo magis
peccavit Eva. Item sicuti melius est bene
10 facere quam bene pati, ita deterius est male
suadere quam male suaderi. Propterea mi-
nus peccavit qui alterius peccavit exemplo,
quia quod exemplo fit id quodam iure fieri
dicitur et vulgo dici solet: quicquid peccatur
15 a multis, inultum est. Adde quod non labo-
riosum fuit sociæ amicissimæ virum deci-
pere, utpote quæ dudum turpissimi serpen-
tis persuasione callidior quam antea fieri
cœperat. Verum tanto graviora sunt delicta
20 Gregorii decreto, quanto diutius infelicem
animam detinent alligatam. Ac, ut tandem
mea concludat oratio, fuit Eva peccati caussa
atque exemplum, et in exemplum vehemen-

(22) concludatur?

ter Gregorius culpam extendit; sicuti caussam ignorantium Iudæorum, quia prima fuit, Christus, qui errare non potest, magis damnavit, cum in Pilati sententiam dixit: *Maius peccatum habent qui me tradiderunt* &c. Cui 5 sententiæ qui Christi nomine gaudent appellari acquiescendum putaverunt, neque unquam adducar, ut te, quam Christianæ pietatis cultu nemini cedere novimus, suspicer ab illa discrepare. Iso. Ita tua sentio increbre- 10 scere iacula, ut nisi huius medii inter nos iudicis præsidio niterer, omnino deserenda mihi esset pugna. Pugnabo tamen cum tam valido hoste, a quo si vincar, dedecoris parum, si vincam, decoris multum sim consecutura. 15

Eva ignorans inconstansque peccavit, ex quo tibi gravius peccasse videtur, quod ignorantia eorum quæ scire debemus non excuset, cum scriptum sit: *Ignorans ignorabitur* &c. Concedo, quando hæc fuerit igno- 20 rantia crassa vel affectata, cuius nec ipse

(4. 5) dixit (Joan. XIX. 11): Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Cui *e.* (19. 20) sit (1. Cor. XIV. 38): Si quis ignorat, ignorabitur. Concedo *e.* (21—p. 60, 2) *Legendum esse videtur:* affectata, sed ignorantia Evæ a natura

deus auctor est aut conditor; sed Evæ ignorantia a natura fuit insita. Id confirmatur in pluribus, inter quos qui plus ignorat minus peccat, ut puer quam senex, rusticus
5 quam nobilis, subditus quam prælatus. Et hinc est iuxta theologorum placita, quod non omnes æqualiter tenentur habere fidem explicitam, quandoquidem explicatio credendorum fit revelatione divina et credibilia
10 rationem superant naturalem; ipsa vero divina revelatio ordinate per superiores ad inferiorum cognitionem pervenit, sicut ad homines per angelos et ad inferiores angelos per superiores, ut Dionysii auctoritas
15 monet. Iccirco eadem omnino ratione fidei nostræ explicationem ad inferiores homines per maiores pervenire necessarium est, ob idque sicut nobiliores angeli, qui illuminant inferiores, notitiam habent de rebus divinis
20 pleniorem, ita etiam maiores homines, ad quos pertinet alios erudire, perfectiore notitia de rebus credendis excellere debent, sicut etiam magis explicita credere

fuit insita, cuius naturæ ipse deus est auctor et conditor; *cf. p.* 198, 15—17.

tenentur. Evam autem insipientiorem viro fuisse ex sacræ paginæ verbis undique deprehenditur. Ad ipsum enim virum veluti sapientissimum et non ad Evam, ut singulis iuxta proprietatem cuiusque speciei nomina 5 imponeret, adducta sunt animalia, ut qui omnium rerum naturam atque differentias optime norat. Quæ quidem cognitio utrum ipsi inesset mulieri, fateor me penitus ignorare. Pari etiam gressu ratio inconstantiæ 10 procedit, et cum dicitur de inconstantia, nec procedentes operationes vituperabiliores sunt, intelligitur de inconstantia, quæ non est secundum naturam, sed secundum mores et vitia, et dicitur in perfectione; ubi 15 enim augentur dona, crevisse etiam donandi caussas creditur. Deus cum hominem creavit, ab initio creavit illum perfectum et animæ eius potentias perfectas, tradens eis maiorem veritatis rationem et cognitionem ma- 20 iusque sapientiæ acumen, ita ut dominus, ut supra quoque attigimus, adduceret cuncta terræ animantia et volatilia cœli ad Adam

(12—17) *confer p.* 199, 5—11. (24) dixit (Gen. I. 26): Faciamus *e*.

suis nominibus ab illo nuncupanda. Unde dixit: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et præsit piscibus maris et volatilibus cæli et bestiis universæ terræ,* indi-
5 cans ipsius perfectionem. De muliere vero dixit: *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et quia beatitudo non est sine solatio et gaudio, solatio autem et gaudio quis frui non potest
10 solus, videtur quod dominus eam crearit ad viri consolationem, quia bonum est sui ipsius diffusivum, et quanto maius tanto magis se communicans. Vides igitur, ut Adam magis peccarit? — Quod de custodia Adæ commissa
15 adducis, addito de furibus domesticis exemplo, verum id esse affirmo in sæcularibus legibus, sed non in divinis; nam iustitia divina aliter in puniendo procedit quam temporalis. Quid adhuc de mulieris fragilitate
20 atque inordinato appetitu urges ex superbiaque id manare asseveras? Arbitror ego minus esse peccatum scientiam appetere boni et mali, quam domini præcepta negligere, quia sciendi appetitus quoddam est

(4) dixit (Gen. II. 18): Non est bonum esse hominem e.

naturale omnesque homines natos scientiæ studio natura incendit. Præterea quælibet res ad propriam operationem maximam habet propensionem, hominis autem operatio propria scire et intelligere censetur, quo- 5 circa haud mirum, scire si cupiat. Demum unicuique rei naturale quoddam desiderium inest, ut suo coniungatur principio; deus autem vel substantia prima hominis, ut viget intellectu, principium existit, ad quam nisi 10 per cognitionem intellectualem non datur accessio, cum omni careat materia; quare deum nosse et intelligere desiderat, in cuius contemplatione a sapientibus humana felicitas reponitur. Et licet primus motus fuerit 15 appetitus inordinatus, qui sine peccato esse non potest, tamen tolerabilius est quam transgressionis peccatum; nam mandatorum observantia est via, qua itur ad salutis patriam: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata;* et ex 20 superbia propria oritur transgressio. Quæ autem maior superbia quam divinæ regulæ subiici nolle? quam extollere se supra id

(17) transgresionis *E.* (18. 19) patriam (Matth. XIX. 17): Si *e.*

quod secundum regulam est præfixum, dei voluntatem contemnendo et suam adimplendo? Item Augustinus de natura et gratia: *Peccatum est voluntas consequendi vel* 5 *retinendi quod iustitia vetat, id est nolle quod deus vult.* Et concordat Ambrosius in libro de paradiso: *Peccatum est transgressio divinæ legis et cœlestium inobedientia mandatorum.* Ecce quod transgressio et in-10 obedientia cœlestium mandatorum maximum est peccatum. Neque adeo grave est boni et mali scientiam appetere; licet inordinate appetere sit peccatum, sicut in Eva, quæ tamen non appetivit se esse deo similem in 15 potentia, sed in scientia boni tantum et mali, quod etiam sibi erat a natura persuasum. Quod autem verba illa: *Si Adam non peccasset* &c. te in sententia confirmant, quia ita fortasse peccavit Eva, ut non meruerit red-20 emptionem, sicuti nec dæmones, dico, quod et ipsa cum Adam redempta fuit, quia *os de ossibus meis et caro de carne mea.* Et quamquam non aperte, procul dubio tamen redempta est, quandoquidem credendum est

(20. 21) quia (Gen. II. 23) os ex ossibus *e.*

deum illius peccatum parvi fecisse, ob cuius delicti tenuitatem multo magis redemptionem meruit mulier quam homo. Nam in angelo ignorantiæ excusatio, ut in muliere, non admittitur, qui quidem sine inquisitione 5 et discursu intelligit et intellectum habet magis deiformem quam homo, cui similem dicere possumus Evam appetivisse. Propterea angelus dicitur intellectualis et homo rationalis, et ubi mulier ex appetitu scientiæ, 10 angelus peccavit ex appetitu potentiæ. Omnimoda visionis scientia potest creaturæ communicari, sed non omnimoda potentia dei ut animæ Christi. Item mulier peccans de venia cogitavit credens utique se non 15 adeo graviter peccare, ut deus tam gravem postea laturus foret sententiam; angelus autem de ipsa venia non cogitavit. Unde Gregorius 4. Moralium: *Primi parentes ad hoc requisiti sunt, ut peccatum, quod trans-* 20 *grediendo commiserant, confitendo delerent.* At serpens ille persuasor, quia non erat revocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Quare satis apparet Evam multo magis redemptionem quam dæmones meruisse. 25

Illud tamen animadvertendum, neque homines neque angelos redemptionem potuisse mereri; hoc etenim munus nullius puræ creaturæ merito censetur. Itaque soli Chri-
5 sto immediate convenit esse redemptorem, cuius sanguis redemptionis pretium est, quamvis ipsa redemptio possit adscribi toti trinitati sicuti primæ caussæ. — Quæ dicis de muliere præcipuis quibusdam præter com-
10 munes cum viro pœnis subiecta, illa ipsa sententiam meam adiuvant, quia, ut dixi, ut omne bonum est sui ipsius diffusivum, et quanto maius tanto magis se communicans, ita et malum, quanto maius tanto magis se
15 communicat, et quanto magis se communicat tanto magis nocet, quanto magis nocet tanto maius est. Item secundum mensuram delicti erit et plagarum modus. Unde Christus crucem subiit, atrocissimum turpissi-
20 mumque mortis genus dicente Isidoro de trinitate: *Unigenitus dei filius ad peragendum mortis suæ sacramentum consummasse se omne genus passionis testatur, cum incli-*

(16) nocet et quanto e.

nato capite emisit spiritum. Ratio: quia culpæ pœna debebat correspondere. Adam tulit pomum ligni vetiti, Christus passus est in ligno sicque satisfecit. Augustinus: *Contempsit Adam præceptum,* et non dixit Eva, 5
accipiens pomum ex arbore. Sed quidquid Adam perdidit, Christus instauravit. Psalmo LXI II.: *Quæ non rapui tunc exsolvebam.* Vides itaque, quantum fuerit Adæ peccatum, ad quod delendum tanta opus fuerit pœna. 10
Neque Adæ culpam in Evam reiicere potes Aristotelis auctoritate: quidquid est caussa caussæ est caussa caussati. Nam hæc vera sunt in his, quæ sunt, ut probe nosti, per se caussæ, quod par est de caussa prima, prin- 15
cipio primo et propter quod unumquodque &c. Quod non vides in Eva fuisse, quia Adam aut liberum habuit arbitrium aut non. Si non habuit, nihil peccavit; si habuit, ergo Eva coegit illud, quod fieri nequaquam po- 20
test. Nam affirmat Bernardus liberum arbitrium pro ingenita nobilitate a nulla cogi necessitate, neque a deo, quia sic esset dare duo opposita stare simul. Non potest

(8) Psalmo LXLIII. (v. 5): Quæ c.

igitur deus facere, quod aliqua operatio a libero procedat arbitrio ipso manente, et non libere sed coacte fiat. Augustinus super Genesi: *Non potest deus facere contra na-*
5 *turam, quam bona voluntate instituit.* Posset autem deus ipse auferre illam libertatis conditionem ad utrumlibet et dare aliam, sicuti non potest ignis ignis manens non comburere, nisi talis natura mutetur et ad tempus
10 divina virtute suspendatur. Ergo minus id potest alia creatura a deo, ut angelus bonus vel diabolus. Augustinus rationem affert, dicens: *Supra mentem nostram nihil præter deum, nec inter deum et mentem nostram est*
15 *aliquid medium.* Cogens oportet quod sit supra illud quod cogitur; sed Eva fuit inferior Adam, ergo illum ad peccatum adducere non potuit. Ecclesiast. XV.: *Deus ab initio constituit hominem et reliquit eum in manu con-*
20 *silii sui.* Proinde accusare deum potius visus est Adam quam se excusare, cum dixit: *Socia quam dedisti fecit me peccare.*

(18) Ecclesiastici XV. (v. 14): Deus *e.* (19) illum in *e.* (21. 22) dixit (Gen. III. 12): Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, et comedi. Facilius *etc. e.*

Facilius ais potuisse ab amicissima coniuge virum decipi quam illam a serpente. At cur non magis Adam in perfecta scientia et cognitione a deo creatus potuit a voce et persuasione imperfectæ mulieris cavere, quam 5 debilis ignoransque secundum naturam mulier ab astutissimo serpente, qui interpretatus est sapiens? Diutius, item dicebas, peccavit Eva, ergo magis peccavit, nam quo diuturniora sunt peccata eo graviora. Scilicet id 10 verum est, cum peccata sunt paria et in eodem vel in simili, sed Adam et Eva non fuerunt pares, quia Adam animal perfectum et Eva imperfectum atque ignorans. Ut te auctore utar, mulier exemplum et caussa 15 peccati fuit, et: Caussam ignorantium Iudæorum, quia prima fuit, magis damnavit Christus quam Pilati sententiam, postremo loco dicebas. Dico ego, quod Christus caussam ignorantium Iudæorum non damnavit quia 20 prima fuerit, sed quia erat ex propria malitia atque obstinatione prava ac diabolica. Non illi utique ex ignorantia peccabant neque

(19) caussa *e*. (23) nec *e*.

magis ignorans de iis rebus Pilatus, vir gentilis, quam Iudæi, qui legem et prophetas norant et de Christo quotidie signa videbant, Ioannis primo et XV.: *Si non venissem et*
5 *locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Unde ipsi dixerunt: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Item: *Dic nobis palam, si tu es Christus!* Nam populus
10 ille peculiaris erat deo et ipse prædicabat Christus: *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israhel. Non est bonum sumere panem de manibus filiorum et dare canibus.* Peccaverunt igitur magis Iudæi, ut a Chri-
15 sto etiam magis dilecti, et eorum exemplum in Evam minime congruit; sicque confirmatior mea remanebit sententia, cui adstipulantur sacræ litteræ, non Evæ sed Adæ peccatum appellantes ubicumque ea de re
20 mentio fit. NAUG. Quidquid ex theologorum

(4) Joannis XV (v. 22): Si n. ven. et locutus fuissem eis, pecc. *e.* (7) dixerunt (XI. 47): Quid *e.* (8) Item (X. 24): Si tu es Christus, dic nobis palam. *e.* (11) Christus (Matth. XV. 24. 26): Non *e.* (12) Israel *e.* (13) pane *E.* et mittere can. *e.*

ac philosophorum fontibus ad hanc rem deduci potest, adeo diligenter ab Isota deductum, iamdudum summa cum admiratione animadverti, ut si quid contra, Protonotarie, adhuc obsistere contendas, hominem plane divinum te iudicem. Pro. Non committam, ut tam longa Isotæ oratio omnem mihi detegendæ veritatis vim exhauserit; supersunt alia quibus victa cadet.— Evæ crassissima fuit ignorantia, quia maluit dæmoni quam creatori fidem præstare. Quæ quidem ignorantia ex eius delicto, ut sacra testatur historia, processit, peccati excusatione carens. Est autem ignorantia crassa vel supina, cum aliquis rem quampiam scire facile potest neque curat indagare. Sicut enim, si quis supinus existat, nullo negotio quæ supra fiunt conspicere potest, et crassus quæ infra, ita proportione quadam illius, qui scire potuit et non curavit, supina crassissimaque vocatur ignorantia. Propterea dicebat divus Augustinus: *Eis aufertur excusatio, qui mandata dei noverunt, quam solent habere homines de ignorantia.* Et licet sit gravius peccare scienter quam nescienter, non ideo tamen

confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisquam excusationem requirat. Aliud est enim nescire, aliud scire noluisse, si quidem in his qui intelligere noluerunt,
5 ipsa ignorantia peccatum est ob malam præcedentem voluntatem; sic mulier ideo dicitur ignorasse, eo quod prius appetierit id quod sibi secundum rectam rationem qua gaudebat non erat appetendum. Audierat
10 etiam ipsa domini præceptum nec ulla ratione poterat excusari aut ipsius commissum facinus tergiversatione celari, quominus a domino graviori plecteretur pœna. Immo, si verum fateri licet, extremæ dementiæ fuit
15 non observare quæ præceperat deus optimus. Et ne illa dividam, quæ tu prudentissime coniunxisti, inconstantia Evæ damnata magis ex accidenti quam ex necessaria qualitate fuit, quia in his quæ a natura insunt
20 nec laudamur nec vituperamur sapientissimorum philosophantium iudicio. At optima etiam mulieris fuit natura et rationi obediens. Ut feris dentes, armentis cornua, volucribus

(17) incostantia *e*.

pennæ datæ sunt ad vitam, ita mulieri ratio ad retinendam et consequendam animæ salutem sufficiens. Si ad viri auxilium, profectionem, solatium et gaudium Eva naturaliter creata fuit, contra leges igitur se gessit 5 viro labores, imperfectiones, tristitias et mœrores subministrando. — Quod attigisti de peccato angeli et hominis et in quo differant, latissimum habet campum et ut vestro dignum acutissimo ingenio, ita huius tem- 10 poris angustiæ minime congruum. Quomodo autem rationi bonitatis summi dei convenire sentias, ut plus mali minus peccantibus diffundat, non satis percipio. — Nimium stringis Aristotelis testimonia ad primas caussas, nam 15 omnis caussa caussæ est caussa caussati, et quia liberi arbitrii fuit Adam, non facio ipsum culpa vacuum neque Adæ culpam Evæ omnino, nisi quadam ex parte, adscribo. — Quæ de libero arbitrio interiecta sunt, ea me non 20 adversante remaneant, neque ad facilitatem consensus Adæ comprobandam volo hoc loco ea omnia commemorare, quæ de mu-

(3. 4) profcctionem *E.* (23) que *e.*

liebris sexus vitiis fraudibusque prædicari solent; non sum enim in tam acri disceptatione fraternæ charitatis penitus oblitus, et tu ea es, cui de muliebri statu maxime a te
5 inter omnes ornato atque illustrato consolationem potius quam tristitiam addere debeam. NAUG. Iam licet de vestra concordia bene sperare, quando ille verborum inter vos ardor iam deferbuit iucunda quadam sedatus
10 benignitate. Sed ne tam longo sermone iactata quæstio certa aliqua conclusione careat, exponam vobis breviter quæ ex dictis utriusque vestrum in unam veramque sententiam iudicio meo perduci queant. Dice-
15 mus itaque peccatum Adæ secundum personæ conditionem fuisse gravius Evæ peccato, quia Adam erat perfectior; secundum vero genus peccati fuisse æquale, quia utriusque peccatum fuit superbia. At secundum spe-
20 ciem superbiæ mulier gravius peccavit, tum quia etiam maior fuit elatio mulieris quam viri, — nam illa credidit verum esse quod serpens suasit, scilicet deum prohibuisse ligni

(11) questio *E.*

esum, ne ad eius similitudinem pervenirent, sicque dum per esum ligni vetiti consequi voluit dei similitudinem, superbia eius ad hoc se erexit, quod contra dei voluntatem aliquid voluit obtinere; vir non ita credidit 5 neque voluit consequi divinam similitudinem contra dei voluntatem, sed in hoc superbus extitit, quod voluit eam consequi per se ipsum, — tum quia mulier non solum ipsa peccavit, sed viro etiam suggessit, quare 10 peccavit in deum et in hominem. Maneat interim unicuique ius integrum quidquid vobis superfuerit adducendi, donec reliquum diei spatium per latiora loca ambulantes usque sub cœnam absumpserimus.

ISOTÆ NOGAROLÆ
ELEGIA
DE LAUDIBUS CYANEI
RURIS.

ISOTÆ NOGAROLÆ

ELEGIA

DE LAUDIBUS CYANEI

RURIS.

Salvete, o Cyani fontes dulcesque recessus
  In medioque alnis consita silva lacu !
Aonidum salvete choris loca grata sororum
  Et quæ cum Bromio Phebus adire solet !
Docta mihi quoties quærenti carmina Musas 5
  Profuit in vestro comperiisse sinu !
Posthabito quoties Parnasi vertice Apollo
  Libetrique undis hæc nemora alta colit !
Hæc quoque, dum sordent Nisæ iuga celsa, feroces
  Liber agens tigres sæpe vireta petit. 10
Quot patuit domus ista viris virtutibus auctis
  Insignique ortis hospitibus genere !
Hæc quoties Gonsaga et amore et sanguine iunctus,
  Mantua quo gaudet præside, tecta subit !
Huc quoque Pontanus Musis comitatus amœni 15
  Non semel accessit captus amore loci,

Hæc elegia in sola Dialogi editione Aldina, quam *E* littera notavimus, eiusque apographis exstat.

Qui iam migrantes Latii revocavit ab oris
    Pieridas, magnæ gloria Parthenopes.
Quis tacitum, quis Naugerum, Verona, relinquat,
20 Sceptra tenens nuper qui tibi iura dedit?
Hanc dum urbem regeret paribus moderatus habenis,
    Quam præclare illud, quam bene munus obit!
Hunc sophiæ imbutum studiis sub flore iuventæ
    Cirrhæis quondam Musæ aluere iugis.
25 Dum rapidus mediam Veronæ dividet urbem
    Noster et Adriadas dum petit amnis aquas,
Naugeri nobis nomen laudesque vigebunt,
    Hærebitque imo pectore semper honos.
Nunc memini et meminisse iuvat, quo tempore nostras
30 Non sprevit tantus prætor adire domos.
Quam fausta illuxit cœlo, quam candida nobis
    Lux felix, Cressa lux bona digna nota,
Qua periucundo iussum est certamine quæri,
    Patraritne Adam maius an Eva scelus!
35 Ille viri partes, ego sum conata tueri
    Fœmineas, quamquam fœmina quid poteram?
Deliciæ, o Cyanum, et Nogarolæ gentis ocelle,
    Alcinoi atque hortis gratior Hesperidum,
Non mirum si iam deserta sede Pelori
40 Nympha suburbano constitit hoc Cyane!
Dux Erebi Aetneis quondam ferus abstulit oris
    Persephonem Cereris pignora chara deæ.

(36) Fæmineas *E.*
(40) Mimpha *E.*

Trinacris ingemuit raptam miserata; tulisset
  Persephonæ ah miseræ, si potuisset, opem.
Flumina creverunt lacrymis fontesque lacusque ; 45
  Flammarum evomuit latius Aetna globos.
Quis credat? Tunc Scylla etiam, tunc Scylla doloris
  Latratu horrifico maxima signa dedit.
Te quoque non solitas memorant fudisse querelas
  Miscentem lacrymis sæva Charybdis aquas. 50
Ipsæ etiam nymphæ confectæ corda dolore
  Errabant scissis lata per arva comis
Ac veluti Euantes implebant questibus auras,
  Tundentes palmis pectora et ungue genas.
Quas inter forma egregia castoque pudore 55
  Præclari Cyane nominis emicuit.
Fida una ante alias Cyane comes atque ministra
  Hærebat lateri sedula Persephones.
Alma Ceres, dum maternas inviseret arces :
  Natæ, ait, o Cyane, sit tibi cura meæ. 60
Hanc tibi commissam, Cyane, fidissima serves,
  Nusquam absit, iussis pareat illa tuis.
Utraque paruerat, cura utebatur eadem,
  Utraque sed Stygiis est superata dolis.
Quid faceret? Quo se raperet perterrita custos? 65
  Non erat et formæ vis metuenda suæ?
Ipsa amens animi atque ingenti cæca dolore
  Torpuit et nuda frigida sedit humo.
Tum patriam fugere atque invisa excedere terra
  Et petere Ausoniæ littora certa fuit 70

(44) Persephone *E.* (65) facet et *E.*

Nulla mora. Undisonum Siculas quod dividit oras
Finibus Hesperiæ traiicit illa fretum.
Post varios casus, post multa pericla quievit
Sedibus his longæ fessa labore viæ.
75 Rus proprio Cyanum dixit de nomine, fontes
Admirata tuis hic, Arethusa, pares.
Ex illo Cyanum prisci didicere parentes.
Sera hoc gaudebit nomine posteritas.
Nympha decus Siculi quondam formosa Pachyni,
80 Nunc Cyani et nostræ gloria magna domus!
Floreat o utinam per sæcula longa superstes,
Credita tutelæ gens Nogarola tuæ.
Aemula sit vitæ Nogarolo a sanguine creta
Atque pudicitiæ fœmina quæque tuæ.
85 Hanc oro tutare domum natosque nepotesque;
Incolume hoc serves, candida nympha, genus.
Sic varios nunquam flores mala frigora lædant,
Neve tuos nimius torreat æstus agros.
Sic tibi sint liquidi fontes, vernantia circum
90 Prata nec anguinea sordeat unda lue.
Quin ea, quot rutilas Pactolus fundit arenas
Vincat, quotque Tagi iactat Iberus opes.

ISOTÆ NOGAROLÆ
ORATIONES.

ORATIO
GENEROSÆ ISOTÆ A NOGAROLIS VERONENSIS
AD REVERENDISSIMUM DOM. HERMOLAUM BARBARUM, PRÆSULEM VERONENSEM.

Cantemus domino, gloriose enim magnificatus est equum et ascensorem proiecit in mare.

NON dubito, reverendissime domine, fore plerosque qui me admirari et temeritatis vitio accusare non desistant, quod ego mulier, quæ nec ingenio possum nec dicendi facultate valeo, hoc ad te scribendi munus usur-

Edidimus e codice Laurentiano inter Gaddianos plut. 89, cod. 24. fol. 141 sqq. (C) et Taurinensi H. III, 8 (T), cuius collationem V. Promis viro clarissimo debemus. Extat etiam in cod. Laur. Gadd. plut. 90, cod. 5 p. 36 sqq., qui tamen, ut nos certiores fecit Nicolaus Anziani Bibliothecæ Laurentianæ præfectus illustrissimus, «omissionibus, sphalmatis et ineptissimis lectionibus a planta pedis usque capitis verticem undique scatet».

Titulus in C: Isocte Nugarole Veronensis in adventu reverendissimi patris et domini d.... Episcopi Veronensis.

paverim, cum multos etiam doctissimos non solum ætatis nostræ, sed prioris illius clarissimorum virorum laudes dicturos timuisse et verecundia perturbatos intelligant,
5 inprimisque Demosthenem illum tanta eloquentia præditum, quem apud Philippum regem oraturum verecundia fere exanimatum legimus. Quod itidem Theophrasto philosopho et Ciceroni eloquentiæ principi con-
10 tigisse antiquæ testantur historiæ. Quibus assentiar necesse est, me scilicet gravissimum onus et penitus a me alienum suscepisse. Tamen animi cum tuam illam audio clementiam, benignitatem, humanitatem, ti-
15 more collapsa revivisco et vires animo trepidanti subministro, illud M. Geminii oratoris mecum animo revolvens, qui cum apud Cæsarem dicturus veniret: Qui apud te, inquit, Cæsar, dicere audet, magnitudinem tuam ne-
20 scit, qui vero non audet, humanitatem. Tua igitur hac humanitate, clementia, pietate singulari adductam gaudioque coactam iuvat

(8) legibus C. (9. 10) contingisse C. (10) hyst. C. (12) honus C. (13) cum *om.* C. (14) clem. et benign. *T.* (22) vivat C.

cum Maria prophetissa et universa re publica nostra tibi obviam egressa hymnum hunc exultationis tam lætum, tam festivum totis ex visceribus proferre. Quis enim tam inhumanus, tam durus, tam devotionis expers, ut non tanta lætitia moveatur atque divinæ providentiæ gratias referat, quod sua misericordia populum hunc vagum sine pastore a recto itinere detortum, in tenebris errantem suæ lucis radiis fugatis nubibus illuminaverit in semitamque reduxerit? Hæc est enim illa dies quam fecit dominus; exultemus et lætemur in ea. Habemus enim te deo miserante pontificem sanctum a deo datum, non casu aut fortuna, sed divino auspicio electum, nec inmerito quidem, quia virtuti laus debetur et honor. Ad quam consequendam quanto labore, studio insudaveris, satius duxi tacere, cum nulla sit tanta dicendi vis, tanta eloquentiæ facultas, quæ tot naturæ, tot humanitatis, tot virtutis ornamenta, quot duce natura, comite diligentia consecutus

(7) referatur C. qui C. (7. 8) miseria C. (11) enim *om.* T. (15) auspitio C. (16) quidem] quod C. (18. 19) tacere duxi C. (22) consequtus C, consequutus T.

es, explicare queat. Quis non intelligit, quanta cura, quanta delectatione a primis, ut aiunt, unguiculis ad hunc usque diem dicendi artem sub Guarino nunc eloquentiæ
5 principe percipere conatus sis, ut de te merito dici possit, quod de Cicerone, Demosthene aliisque innumerabilibus dicebat antiquitas? Nam legisse memini Demosthenem tantam in exercitatione dicendi operam po-
10 suisse, ut longe plus olei ut videret, quam ut biberet vini consumpserit. Et is tanta aviditate rhetoricam se arripuisse testatur, ut nimio labore vix ossibus hærere videretur. Hos igitur toto cursu imitari curasti,
15 intelligens hanc in eo esse non posse qui vitiis refertus sit et illum, ut aiunt, facilius ad eloquentiæ magnitudinem sese accommodare qui boni viri nomen adeptus sit. Et ne hoc adulatorio more fingere videar, testis
20 est Guarinus ipse, apud quem ita vixisti, ut

(1) queatur C. (3. 4) dicendi artem *om.* T. (4) eloqu. nunc T. (5) sit C. (6) Cic. *om.* T. (8) Iam leg. *codd.* (11) consumpsit C. is] Cicero T. (12) rethor. C. (14) tanto C. (16) refectus C. illam C. (17. 18) acomodaret C. (19) hec T. (20) iuxisti C.

te pro eo tempore delicias suas vocare minime dubitaret. Sed tu solum hac oratoria arte non contentus spiritu dei ductus omnes alias in unum collegisti, quæ tibi, in quocumque statu esses, usui et ornamento esse possent, philosophorum præcepta et doctrinas secutus fuisti, iuris civilis et canonici scientiam, quæ prima catholicæ fidei fundamenta demonstrant, lubens sociam suscepisti plurimumque in eis perfecisti. Tandem omnibus posthabitis ad rerum divinarum contemplationem et omnipotentis dei cognitionem, quæ omnia sacrosancta theologia docet agnoscere, te contulisti. Per hanc enim deum cognoscimus, amamus, fruimur et possidemus. In qua quantum temporis expenderis, testes sunt qui tecum vitam agunt, ut de te affirment quod de Archimede legitur, qui tanta mathematicarum artium abstractione detineri solitus sit, ut plerumque appositas non videret escas. Intel-

(1) delitias *codd.* (2) dubitarit C. (5) usu C. (6) scripta et C. (8. 9) fondam. *T.* qua . . . demonstrantur? (9. 10) susceptis C. (10) in eis] intus C. profecisti? (13) que hec omnia C. (15) dominum *T.* (17) expendas C.

lexisti enim hanc disciplinam non solum privatis hominibus, sed ipsis principibus maiorem in modum necessariam, et iis maxime, in quorum manibus populorum salus
5 sita esse videatur, attestante Hieronymo, sacerdotis officium esse interrogatum respondere de lege. Et Paulus inter ceteras virtutes episcopi hortatur, ut sacrarum scripturarum scientiam amplectatur. Daniel quoque
10 iustos fulgere dixit quasi stellas et intelligentes id est doctos quasi firmamentum. Te igitur hac tanta tamque insigni virtutum et scientiarum corona ad Romanam ecclesiam veluti ad matrem confugientem ea tamquam
15 iustus iudex, qui reddit unicuique iusta opera sua, multis dignitatibus decoravit. In quibus quanta benignitate, humanitate, misericordia, iustitia, gravitate vixeris, potius tacere quam inornate enarrare decrevi, etiam ne in re
20 notissima tempus teram. Existunt enim tam præclara et illustria iudicia tua, ut nullius quamvis eloquentissimi nedum mea

(3) et] ac C. his *T*. (5) actestante hyeronimo C.
(12) ista tanta *T*. (18) iuxeris C.

probatione aut laudatione egeant, sed ipsa rerum consequentia atque exitus doceat. Exulto igitur ac præ gaudio ad cælum manus tollo, pro devotione lacrimas effundo, cum te antistitem nostrum aspicio, cuius opera, 5 diligentia, præsidio, subsidio felicem sanctam civitatem hanc nostram fieri non dubito. Tolletur enim modo omnis mala consuetudo, destruentur vitia, orientur virtutes, religio sincera et immaculata servabitur iuxta illud 10 Hieremiæ: Ecce constitui te super gentem hanc, ut evellas et destruas, ædifices et plantes. Cantabit nunc hæc civitas, pueri innuptæque puellæ: Sub umbra illius quem desiderabam sedi et fructus eius dulcis gut- 15 turi meo, læva eius sub capite meo et dextra illius amplexabitur me. Hanc igitur, reverendissime pater et pontifex, tuæ splendore gloriæ immortalem effice et ipsam non tamquam dominus, sed pater suscipe, fove et 20 amplectere. Sic enim decus, laudem, æternæ

(1) ageant C. (3) ac] et C. (5) antistem C. (6) subsidio *om.* *T.* (8) ammodo C. (11) Hyeremie C. (12) hedifices *T.* (13) civitas hec *T.* (15) sedi *om.* *T.* (15. 16) gucturi C. (18) pater et *om.* *T.*

vitæ præmium assequeris. Nos autem ornamenta habituri sumus et commoda tuique et memoriam non minori desiderio prosequemur quam populus Romanus Numam Pom-
5 pilium aut Romulum, qui eum amissum dolens talia verba loquebatur: O Romule, Romule, dic, qualem te patriæ custodem dii genuerunt! Tu produxisti nos inter luminis oras. O pater, o genitor patriæ, o sanguen
10 diis oriundum! Sed quid ego inepta ago, quæ te hac feminea verbositate usque adeo fastidire non desisto. Finem itaque meis his nugis imponam, si te prius oravero, humanissime domine, ne mireris neve mihi
15 succenseas, si ausa fuerim, ut dixi, tantum onus et viribus meis impar tam audaci animo suscipere, ad te scilicet scribere, et magnitudini meritorum tuorum nusquam orationem meam exæquare potuisse. Patere igitur
20 et humanitati tuæ culpam ascribas, quæ mihi hanc præbuit audaciam, ut me totamque Nogarolam familiam tibi tradere ac condo-

(5) eum] cum C. (9) horas C. sanguine *codd.* (10) quod C. in. virgo *T.* (11) hac] ac C. (12) fastidiose *codd.* (17. 18) magnitudinem *T.* (20) ascribes *codd.* (22) atque C.

nare non dubitem, obsecrans, ut ea caritate et benivolentia, qua semper fidelissimos tuos excoluisti, eadem nos diligas et gratia tua dignos iudices. Et ego tibi, quæ talium virorum amicitiam assequi quoddam divinum 5 semper existimavi, polliceor nos omni cura, diligentia, studio, quæ tibi placita erunt avidissime iocundissimeque esse executuros.

(1) ut eadem *T.* (5) quiddam *C.* (8) *in calce* FINIT *est in T.*

ISOTÆ NOGAROLÆ
IN BEATI HIERONYMI LAUDEM ORATIO.

Iesu salvator seculi Et pia dei genitrix, Opem posce miseræ. Cœtus omnes angelici, Omnium sanctorum merita Nobis precentur gratiam.

VEHEMENTER mihi timendum esse existimarem, devotissime pater vosque ceteri nobilissimi cives, quæ cum nihil in me virtutis aut præstantiæ versari videam, indigna et imbecillis rem magnam arduamque aggredi non

Hæc oratio extat in Cod. Laur. Gadd. plut. 89, cod. 24 *(G)*, Marc. lat. cl. XIV, cod. nr. CCLII *(M)*, quem comes Camillus Soranzo, vir humanissimus contulit, denique in Cod. Bibl. Archigymnasii Bononiensis 16*b*, III, 13 *(B)*, quem benigne intercedente Dominico de Santagata integrum in nostrum usum descripsit Ludovicus Itali, bibliothecæ præfectus doctissimus.

Titulum om. G. Isottæ *G.*

(4) opera *G.* (10) spectatissimi *G.* (12. 13) imbecilis *B.* (14) res *G.*

formidarim, beatissimi scilicet Hieronymi laudes enarrare ac velut anser inter olores de eis orationem habere, in quibus explicandis eloquentissimorum ingenia defessa cognoscimus: ni illius gratiam et auxilium mihi affuturum esse confiderem, qui aperit oculos cæcorum et linguas mutorum facit esse disertas, — et eo magis, cum hoc gravissimum onus non sponte, non elatione, non fastu, non eloquentiæ facultate gloriata susceperim, sed tuis potius precibus, tua obedientia coactam intelligat et me summa molestia animique acerbitate affectam agnoscat, ut nihil mihi gravius, nihil difficilius a te præcipi potuisset. Et si quisquam alius hac de re mihi verba fecisset, profecto me ab eo derideri putassem. Sed cum tuam in me caritatem, benivolentiam totiens experta fuerim, qui cum me garrire vides, eloquentem credis ac disertam, præceptum tuum

(1) silicet *B*, s. *G*. Hieronimi *G*. (2) anzer *G*, hanser *M*. inter *om*. *G*. (3) rationem *G*. (6) considerem *G*. (7) appęrit *B*. mutorum] infantium *B*. (8) cum hoc] animi *G*. (11) præcibus *BM*. (12) coactum *B*. (16) hac *om*. *B*. pr. meo *G*. (18) charitatem *B*. tociens *BM*. (19) garire *BG*.

precesque tuas, ne ingratissima videar, apud me plurimum valere decrevi, quo res cumque cadat. Chrysostomus quoque super Matheum ut obediens fuerim me hortatur,
5 dicens: virtutum omnium merita bonum humilitatis exuperat, quæ si non adsit nec illæ poterunt esse laudabiles. Et illa vera humilitas est, quæ non suæ sed alienæ optat reverenter obtemperare voluntati. Quæ cum ita
10 sint, brevi quam potero oratione tua cum venia omniumque audientium præceptum tuum prosequar, tum ne longius inornateque dicendo omnes fastidio afficiam, tum quia me recognosco huiusque rei molem
15 imbecillesque humeros meos. Non enim mihi Quintiliani sunt acumina, non Ciceronis aut Frontonis in dicendo facultas, ut hoc mihi convenire cognoscam aut ullo pacto mihi persuadeam. Intelligit siquidem sin-
20 gularis virtus tua pro tuo in eo amore ac devotione, quo labore, quo sudore omnes suæ vitæ partes pro animi sui magnitudine

(1) præcesque *BM.* (3) Chrisost. *B,* Grisost. *G.* (7) potuerunt *G.* (13) efficiam *G.* (15) imbecilesque *B.* (19) siquid *G* (*et M* ?).

vitæque sanctimonia instituerit atque fundaverit, ut incredibili ac divino auxilio ad id rerum fastigium devenerit, ut nulla fuerit in terris regio, quæ huius sanctissimi nominis plena non fuerit. Quis enim ignorat, quam 5 novos populos adierit, provincias lustraverit, maria transierit, ut litteras toto orbe fugientes persequeretur? Unde primo discessit, ab oppido Stridonis, adhuc puer Romam cum parentibus veniens prima artium elementa 10 atque grammaticam a Donato optimo præceptore accipere curaverunt parentes eius Philippum Macedoniæ regem imitantes, qui primas litteras sub Aristotele discere Alexandrum voluit, pueris perutile existimans, primas 15 litteras ab optimis præceptoribus accipere, cui devotissimus ille puer tantum operis tribuit, ut cuncti simul tamquam divinum numen admirarentur. Intellexit enim divino afflante spiritu hanc inprimis ad excitandos 20

(8) Unde primo disc. *om. G.* (11) gramaticam *BG.* (12) curavit *codd.* (13) Filippum *BM.* Phil. regem Mac. eius par. imit. *G.* (14. 15) Alex. disc. *G.* (15. 16) pueris— accipere *om. G.* dev. ille puer. *om. G.* (17) tantam operam dedit *G.* (19) divinum *om. G.*

instruendosque intellectus necessariam esse, huic dulcem ac facundam comitem adiunxit dicendi rationem ac disciplinam, rhetoricam dico, quam tanto ardore, tanta de-
5 lectatione percepit, ut in hac magnam ætatis suæ partem industriamque consumpserit. Et in ea adeo splendidissime elaborasse constat, ut omnia tam Græca quam Latina, quæ eloquentissimo ac disertissimo homine
10 digna essent, ad ea sibi comparanda omnem operam adhibuerit. Philosophos Græcos ferme omnes attigit, nec ullius ipsorum disciplinæ vel expers vel ignarus fuit. Hebreos vel Caldeos, Syrios enixe coluit, omne de-
15 nique scientiarum genus familiarissima quadam cognitione complexus est. Innumeros libros edidit, plurimos pulcherrimeque scriptos coegit in Latinumque traduxit, in quibus vir ille divinus ita ornate, ita luculenter dis-
20 seruit, tantaque opulentia, tantoque splendore abundavit, ut merito ab ore ipso auro

(3. 4) id est rethoricam *(sic etiam M)*, quam *G.* (8) constatur *G.* (11) adhibuere *G.* (15) familiarissime *G.* (16) Inumeros *B.* (18) coegit] attigit *G.* (19. 20) diseruit *BM*, deseruit *G.* (21) habundavit *BG.*

clarior fulgere dicatur oratio. Hebreorum, Græcorum, Caldeorum, Persarum, Medorum et Arabicorum linguis tanta suavitate loquebatur, ut in eis natus videretur in eoque leporem hunc nativum esse, non ac- 5 quisitum appareret. Tandem cum expertus fuerit huiusmodi sapientiam apud deum stultitiam esse, spiritu sancto duce, qui eum in suum obsequium elegerat, codicibus secularibus penitus abiectis relictisque gentilium 10 litterarum libris ad scripturas sanctas imperio dei se convertit eas tanto studio lecturum, quanto antea mortalia non legerat, Moysen imitantem, qui non prius ad dei contemplationem accessit quam in Aegyptiorum disci- 15 plinis mentem exhibuisset, Danielem quoque, qui cum apud Babilonios Caldeorum sapientiam imbibisset, postea rerum divinarum ferunt attigisse doctrinam. Perrexit itaque Constantinopolim, ut sacrarum scrip- 20

(1) clariorem f. dicatur. Orationem Hebr. *G.* Hæbr. *B.* (4) in eas *G.* (4. 5) in eo itaque l. *G.* (7) fuit *G.* huius mundi s. *B.* (8) eum] cum *G.* (13) moralia *G (et M!).* Moysem *B.* (14) pius *B.* (15) egipt. *B.* (16) exibuisset *G.*

turarum Gregorium Nazianzenum haberet præceptorem; Antiochiam intravit, ut Apollinarem audiret docentem. In Alexandria Didymum audivit. Apud Hebreos Lydium
5 præceptorem magnis copiis se redimisse testatur. His igitur locis laboriosissime perlustratis reversus Hierosolymam et Bethlem Baramum iam senex audivit, metuensque Iudeos nocte ad eum proficiscebatur eique
10 reservatas sibi in necessarios usus pecunias magna sciendi cupiditate ductus pretio dedit, Euclidis philosophi recordatus, cui tanta inerat sciendi cupiditas, ut cum cavissent Athenienses decreto, ut qui Megaris civis
15 esset, si Athenis referre pedem prensus esset, ea res ei capitalis esset, is nihilo facto periculo Athenas noctu peragrabat et antequam advesperasceret tunica longa muliebri indutus et palio versicolore amictus et caput

(1) Nazanz. *G (et M!)* (2. 3) Appolinarem *B*, Apolenarem *G*. (3) docentem *om. G*. (4) Dydimum *B*, Didimum *G*. Lidyum *B*, Lidium *G*. (6) laboros. *G*. (6. 7) perlustrans *G*. (7) hierosolimam *B*, hyerosolimam *G*. Bethleem *G*. (8) Bataniam *G*. (11) deductus *G*. precio *B*, pretio *M*. (12) recordabatur *G*. (17) athenis *G*. (18) inductus *B*.

thiara velatus e domo sua Megaris commeabat, ut vel noctis tempore consiliorum sermonumque Socratis fieret particeps rursusque sub luce milia passus amplius viginti eadem illa veste tectus redibat. Noluit enim 5 vir iste sanctissimus aliquid ad summum excellentiæ et sanctitatis cumulum ac decorem sibi luminis abesse, sed invenit vir ille ubique quod disceret, ubi semper proficiscens semper melior fieret. Vitam legendo, lo- 10 quendo, disputando, scribendo iocundissime sanctissimeque trivit neque unquam a suo opere cessavit aut studio. Intellexit enim servus dei nihil dulcius otio litterato; his dico litteris, quibus infinitatem rerum atque 15 naturæ et hoc ipso in mundo cælum, terram, maria et ipsum deum denique cognoscimus. Tam enim multa legit, ut scribendi otium sibi suppeditasse miremur; tam multa scripsit, ut vix quemquam ea legere potuisse 20

(1) thyala *G.* megaras *B.* (1. 2) comeabat *BG.* (3) Scaratis *G.* part. f. *G.* (7) cum. dedecorem *G.* (9) disceret *om. G.* ubi] et *G.* semper *om. G.* (10. 11) loquendo legendo *G.* (12) trivit *om. G in lacuna.* (14) ocio *B.* licterato *G.* (15) rerum infirm. *G.* infirmitatem *codd.* (16) terras G. (17) denique deum *G.*

credatur. Cuncta enim veteris testamenti Græce Hebraiceque scripta volumina in Latinum vertit; Prophetas, Isaiam scilicet, Hieremiam, Ezechielem, Danielem, XII. Pro-
5 phetas exposuit. Psalmos, Ecclesiastem, Cantica singulari elegantia patefecit. Novum quoque testamentum, Apostoli epistulas, Iohannis Apocalipsim, dubia exponendo dilucidavit, officium divinum ordinavit, omelias
10 ab Origene editas in Latinum transtulit. Dies mihi deficerent tantorum volumina librorum ab eo edita enumerare. Hoc itaque vitæ curriculo, hac tanta digni sanctissimique viri fama factisque permotus Liberius
15 pontifex cum iam congruos ecclesiasticos gradus suscepisset, Cardinalem elegit. In qua dignitate constitutus ea modestia, humanitate, prudentia, caritate usus est, ut ab omnibus sua virtus atque sanctitas celebraretur

(3) transtulit *G.* ysaiam *B.* silicet *B*, S. *G.* (4) Hyeremiam *M.* Hezech. *B*, Ezechyelem *G.* (5) Ecclesiasten *G.* (6) ellegantia *B*, eloquentia *G.* (6. 7) novumque test. *G.* (7) epistolas *G.* (8) apochalissim *B.* (9) offitium *B.* (10) origine *G.* vertit *G.* (13) circulo *B.* (14) Liberus *G.* (15) pontifex *om.* *G.* (16) in card. elegitur *G.* (17. 18) humanitate *om.* *G.* (18) caritate] sanctitate *G.* (19) virtus (*om.* atque) sanctitus celebratur *B.*

et omnes in admirationem, stuporem devotionemque perduceret. Cumque sacrosanctam Romanam ecclesiam in ruinam ac deformitatem tendere videret, quantos ille labores subiit, quam gloriosa certamina pertulit, quam multos, quam varios discursus obiit, ut sanctissimam fidem ab improbis hereticis miserrime vexatam suis e manibus liberaret, omnia gerens, omnia temptans, ut prostrata resurgeret et mortua revivisceret! Tandem post multa temporum curricula vigiliis, laboribus, ieiuniis, orationibus insudando templum domini corroboravit ab oriente usque in occidentem, bella hereticorum abstulit, arma et scuta eorum combussit igni tropheumque de superatis inimicis reportavit. Tunc cognoscens hanc Christo servire cupientibus dignitatem onerosam sarcinam futuram abiecto galero, relicto seculo, contempta dignitate heremum ingressus est, eam erigens religionem quæ arctissima

(1) in stup. *G.* (3. 4) in miram def. *G.* (7) fidem sanct. *G.* (9) liberare *G.* tempestas *G.* (11) temp. cumula *G.* (15. 16) igni combuxit *G.* (18) oner. *om.* *G.* (19) suturam *G.* (21) errigens *B*, erigans *G.* rectissima *G.*

iudicatur et in ea persistere difficillimum
existimatur. In qua quam dure, quam aspere
Christum fuerit secutus, de se ipse testimo-
nium perhibuit et eius testimonium est ve-
5 rum. Ad Eustochium scribens: Stabam, inquit
in heremo constitutus et in ipsa vasta solitu-
dine, quæ exusta solis ardore monachis hor-
ridum præstat habitaculum, quottidie gemitus,
quottidie lacrimæ et si quando me somnus
10 oppressisset repugnantem, nuda humo vix
ossa hærentia collidebam. Horrebant sacco
membra deformia, aqua frigida etiam lan-
guens utebar et coctum quid accepisse lu-
xuria sit. Cutis mea propter incommoda
15 squalida carnis Aethyopicæ situm obduxerat.
Flebam continue et repugnantem carnem
ebdomadarum inopia subiugabam. Sed quid
multis provehor? Quid denique longiora
enarrando fatigor? cum non mihi si linguæ

(1) difficilimum *B*. (4) prohibuit *G*. (5) Eustachium *BM*. (8) præstat] pre se fecit *G*. quotidie *G*. (9) quotidie *G*. lachrime *B*. (10) humo nudo *B*. nudo *codd*. (11) herrentia *B*. sacho *B*, sano *G* (*et M?*) (14) pr. inc. *om*. *B*. (15) crinus *G*. ethiopicę *B*, ethyopice *G*. adduxerat *G*. (17) edomandam *G*, ebdomadam *M*. inopie *G* (*et M?*); inedia, *ut est apud Hieronymum?* quod *G*. (18) Quod *G*.

centum sint oraque centum, ferrea vox, omnes virtutes suas sanctissimæque vitæ suæ laudes percurrere possem. Quid loquar de sui ipsius continentia, immo virginitate, quam tanto labore, tanta austeritate, humili- 5 tate mundam immaculatamque servavit, ut vere ille fuerit Israelita in quo dolus non fuit inventus, et eum Ioanni Baptistæ merito comparare potuerunt, quoniam et ipse semper virgo permansit et omnes difficultates 10 superavit. Omnem victus austeritatem usque ad extremum suæ vitæ tempus patientia, caritate vicit. Et sic octuagesimo octavo ætatis suæ anno suis circa astantibus filiis, quos suo subsidio, consilio, exemplo a vitiis pur- 15 gatos ad virtutes traduxerat, in senectute sua sancta migravit ad dominum. Cuius exitum tantis gloriosis miraculis honorificavit omnipotens deus: infirmos sanando, mortuos suscitando, oppressos a diabolo liberando, af- 20 flictos consolando, ut in talis tamque laudati

(3) suæ *om*. *G*. quod *G*. (4) sui] sibi *G*. ymmo *B*. (8) Johanne *G*, Johanni (?) *M*. Baptista *G*. (9) potuerit *G*. quum et *B*. (12) pat. ac car. *G*. (14) circum *G*. (16) traducerat *M*. sua *om*. *G*. (19. 20) opper. a diab. lib. mortuos susc. *G*. (20) opressos *B*. dyabolo *B*. (21) tali *B*.

glorificatique patris memoria animo moveri et ad fletum prorumpere mihi necesse sit. Sibyllæque Tiburtinæ de eo prophetiam tunc impletam quis negabit? Ait enim: Sur-
5 get stella mirabilis quatuor animalium habens imaginem eritque in tuba mirabilis, Danaos illuminabit nomenque agni usque ad finem in dei virtute perducet, vinctos a diabolo liberabit et moriens illustrabitur eritque eius
10 exitus gloriosus. Laudanda est igitur a nobis semper divina providentia, quæ ecclesiam suam militantem tali auxilio munierit aulamque suam regiam tali angelico spiritu decoravit. Hunc igitur virum glorificatum, pium,
15 caritate fulgentem, summis laudibus celebrare, omni devotione mentibus nostris suscipere debemus, ut apud deum pro nobis peccatoribus perpetuus intercessor existat, ut gressus et voluntates nostras in hoc seculo
20 dirigere et gubernare dignetur. Et tunc cum beatissimis spiritibus in cælestibus regnis

(3) Sybillęque *B*, Sibilleque *G*. Tyb. *B*. (4) nunc *G*. (5) quactuor *G*. (6) ymag. *B*. (8) dyabolo *BG*. (9) monens *G*. (11) semper *om. B*. (13) regiam *om. G*. (14) glorif.] optimum *G*. (20) dirrigere *B*. (21) cœlest. *M*.

post felicem vitæ præsentis excessum eius meritis et precibus mereamur ascribi gratia et misericordia domini nostri Iesu Christi, cui est cum patre et spiritu sancto honor, decus et imperium in secula seculorum. 5
Amen.

(1) fęl. *B.* (2) pręcibus *BM.* ascribi] vitam eternam *G.* (6) *Post* Amen *in M sequitur:* Isota Nogarola Vẹronensis edixit. Dominicus Bellonus.

ANGELÆ NOGAROLÆ
OPERA.

I.

Ad magnificum dominum dominum Pandulfum de Malatestis pro recuperatione cuiusdam voluminis quo omnia opera Senecæ moralium dogmatum patris illustris continebantur, per Angelam de Nogarolis de Verona.

Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Cor quo Cæsareum generoso e pectore fugit?
Qua merui culpa fieri tibi vilis, Achille,
Ut mihi tam fulgens raperes, generose, monile?

Angelæ ad Pandulphum Malatestam carmen una cum Pandulphi responso ex apographo Bandiniano unici qui extat codicis Riccardiani numero 784 signati (in quo fol. 150 loco 54. 55 hæc carmina leguntur) a Ioanne Christophoro Amadutio in «Fasciculo Latinorum Carminum» (Romæ, a. 1782) et in volumine quarto Anecdotorum Litterariorum (Romæ, 1783) editum est. C littera codicem Riccardianum a Prospero Viani, Bibliothecæ Riccardianæ præfecto doctissimo iterum collatum, *F* littera primam, *A* littera alteram Amadutii editionem notavi.

Cento Angelæ Nogarolæ Veronensis ad Pandulphum Malatestam pro recuperatione cuiusdam voluminis, in quo omnia opera moralia Senecæ continebantur *est titulus in AF.* V. 1. 5 e Virgilio, v. 3. 7. 21. 23. 25. 27 ex Ovidio, v. 9. 11. 13 ex Oratio (Horatio *AF*), v. 15. 19 e Petrarcha

Usquam iusti est et mens sibi conscia recti,
Ut tua iam valeant lacrimis præcordia flecti?
Vince animum mentemque tuam, qui cetera vincis
Iacturamque meam prospectu conspice lincis.
Deme supercilio nubem plerumque modestus,
10 Baltheus et parvus mihi non rapiatur honestus.
Nunc prece, nunc precio, nec vi nec morte suprema
Deprecor, ut nobis reddatur fulgida gemma.
Non domus et fundus, non æris acervus et auri
Poscitur aut tremula flos lectus ab arbore lauri.
15 Poscimus id avide, nihil est mihi pulcrius orbe,
Et tibi nunc plena præstatur copia corbe.
Pars mundi tibi nulla vacat, sed tota tenetur
Tellus proque tuo placito sermone movetur.
Quid vetat esse pium munus? Tene dulcia verba,
20 Nempe repulsa magis quam mors credatur acerba.
Da mihi te placidum dederisque in carmina vires,
At cadet ingenium mentis si murmur inires.
Rumpor et ora mihi pariter cum mente tremescunt.
Hi quotiens nostra flores non sede nitescunt,

v. 17 e Lucano, v. 29 e Pindaro (Thebano) sumptos esse, ceteros versus ab ipsa Angela scriptos esse in singulorum versuum margine annotatum est. (2) ex *AF*. (5) iusta est *AF*.

(7) pectora vincis *AF*. ' (8) nimiam pr. C. lyncis *AF*. (9) pleramque *AF*. (10) Baldeus C. (11) prætio *F*. nunc vi nunc m. C. (13) heris C. (14) tremulæ? letus C. (15) Posc. is C. pulchrius *AF*. (16) præstatum *AF*. (19) esse prius *F*. bene C. (24) Hii C.

Pro somno lacrimis oculi tunguntur obortis, 25
Nec mea permulcet patientia pectora fortis.
Has solas semperque habeo semperque profundo,
Nec male, nanque mihi cessit sors aspera mundo.
Sed iam siste gradum finemque impone labori,
Princeps celse, meo magnoque medere dolori. 30

(25) sopno C. abortis C. (26) Nec omnia C. permulcent *ACF*. patictia *AF*, patentia *coni. Amadutius*. fontes *AF*. (28) Hæc *A(?)C*. namque *AF*.

II.

Pandulfus de Malatestis generosæ dominæ Angelæ de Nogarolis respondet.

O decus egregium, virgo celeberrima Musis,
Unica per nostrum volitans nunc æthera Fenix,
Cui cæleste dedit virtus præsaga futuri
Nomen et ingenium superi fecere profundum.
5 Munera digna viris repetis, non æqua puellis,
Quæ licet ampla forent, penitus me dante tulisses,
Si modo quam rogitas præstetur copia gemmæ
Aut alibi reperire queam vel tu quoque posses
Reddere, dum pectus cupide satiaris honestum.
10 Quis ferus et Tracia genitus sub rupe negaret
Quidquam dulce tibi, generosæ stirpis alumna,
Carmine quæ possis cautes perrumpere duras
Atque adamanta queas nimium mollire precando?
Neque ego tam durus vel sunt præcordia ferri

Carmen Pandulphi Malatestæ ad Angelam Nogarolam *est titulus in* *AF*. (2) Phœnix *AF*. (5) petis *ACF*. (7) quem r. perspectum c. germen *AF*. (9) sauciaris C. (10) Thracia *AF*. (11) alunna C. (13) molire C.

Ut tua non avide complessem vota libenter, 15
Si mihi non animo fixum natumque sederet.
Ergo vale precibusque piis ignosce quod obstem.

Egregiæ indolis virago, nullius fere alterius rei, quæ tibi grata foret, nec istius a me patereris repulsam, si qua via aut modo 20 reperire possem, quod prece tam dulci perflagitas. Certa igitur esto, quod si quod aliunde tale opus invenero, curabo ocius istud vel illud posterius habeas.

(17) precibus *CF.* ingnosce *C.* (18) forte *AF.* (19) a me] amore *AF.* (20) parerer *C.* (22) ergo esto *AF.* quod *post* si *omm.* *AF.* (23) aliud (*suprascr.* aliunde) tale opus aliunde tale opus inv. *C.* otius *C.* (24) prostimis *C.* *Num* curabo opus istud protinus habeas *scribendum?*

III.

Inclito et glorioso principi domino Iacobo de Carraria domino suo singularissimo.

Summe parens rerum, summi regnator Olimpi,
Aethera qui stabilis, terras atque alta profundi
Sidereosque polos æterna lege gubernas,
Nunc tua turicremis venerentur numina donis
5 Grandævi iustique senes trepidæque puellæ
Et pueri castæque nurus iuvenesque torosi.
Obstrepat omne nemus, velemus tempora sertis,
Atria festivis celebrentur plena choreis,
Exultent proceres simul in turbisque popellus.
10 Affluit alma dies lapsis felicior annis,
Qua te grande decus Patavi, clarissime princeps,
Marmoreæ rectorem urbis sceptroque potentem
Vidimus ! O totum lux concelebranda per orbem !
Vive diu felix, divum certissima proles,

Extat in unico codice Riccardiano *(C)* nr. 784 (fol. 159, nr. 56).

(11) Patavium C. (13) celebranda C.

Et summis confide deis rebusque secundis. 15
Sub iuga prosternes populos gentesque rebelles,
Ibit et in totum tua celsa potentia mundum.
O patriæ sedes, patrii gaudete penates,
Et civis lætare, precor, dominumque benignis
Ulnis sume tuum, quo, credas, principe nostro 20
Aurea Saturni remeabunt tempora mitis.
Dulcia felices tractabunt otia gentes
Et pia sedatas proteget concordia terras.
Tristia concordes horrebunt prœlia mentes
Nec metus humanos agitabit cura pavorque, 25
Sed cuncti pariter concordi pace fruemur.

(15) summe C. (16) posternes C. (20) summe C. (23) protegat C. (24) herebunt C. (26) cunti C.

IV.

Per Angelam de Nogarolis D. V. devotissımam ex abundanti gaudio tamquam corvum crocitantem.

Magne parens, qui cuncta regis per principis aulam
Anguiferi, clarumque dedit cui maxima nomen
Virtus, præcipue pietas et sancta fidesque,
Felicem longamque tibi dent numina vitam!
5 Parva suos tibi commendat Vicentia cives
Innumeris quassata malis supplexque precatur :
Heu populo miserere inopi nimioque labori.

In titulo carminis ad Ioannem Galeatium Visconti Virtutum Comitem scripti, quod in eodem codice Riccardiano *(C)* nr. 784, fol. 160 legitur *habundanti* C.

(1) tanta C. (4) dent] tua C. (7) Heu inopi m. populo C.

V.

Angela de Nogarolis Nicolao de Facino Vicentino, qui suspicatus est metra per eam sibi missa ipsam non composuisse, sed aliunde mendicasse.

Non aliena meis imponere vellera membris
Me iuvat et levibus circumdare brachia pennis
Nec mihi virtutum laudes conscendere cura est
Alterius, picti nota est mihi fabula corvi.

Ex eodem codice Riccardiano fol. 163 *a*, nr. 62.
In titulo aliunde] alium C.

VI.

D. Angelæ de Nogarolis per Nicolaum de Facino Vicentinum.

Ac veterum laudes nobis ascribere vatum
Et pudor et virtutis amor mentisque decorum.
Sed mihi nulla movet mentem miratio, quod non
Follibus esse meis ullo conflata putentur

Ex eodem codice Riccardiano fol. 162*b*, nr. 61.

Carmen initio mutilum esse videtur, immo si licet conecturam paulo audaciorem proferre, tantum quattuor disticha, quæ in calce carminis ab iis qui præcedunt hexametris disiunxi, ad Nicolaum de Facino auctorem referenda sunt. Cetera cum Angelæ ad Nicolaum carmine ita iungenda esse videntur:

Non aliena meis imponere vellera membris
Me iuvat et levibus circumdare brachia pennis
Ac veterum laudes nobis ascribere vatum.
Est pudor et virtutis amor mentisque decorum
Nec mihi virtutum laudes conscendere cura est
Alterius; picti nota est mihi fabula corvi.
Sed mihi nulla movet mentem miratio, quod non *etc.*

(1) veteres C. (2) decorem C. (3) mirantesque non C.

Et fabricata mea avitis in . . . . . negentur. 5
Femineæ morem cœperunt namque cohortes,
Tempore quod nullas latices gustasse moderno
Fertur Gorgoneos doctasque audisse sorores.
At, natura, pari rerum ratione creatrix,
Femineam formare animam pariterque virilem 10
Diceris atque soles æquas infundere mentes!
Ergo tuum veteres non poscere, femina, vates,
Naturæque munus sexum dotavit utrumque.

—

Da veniam, quæso, calamus si scribere differt;
  Protrahit invitam dextera nempe moram. 15
Sed latro, nostram rarus qui pergat ad urbem,
  Ac studium versus impediensque calor
Obstant, nam labunt præcordia nostra calore,
  Mollia me studium promere metra vetat.
Vive, vale felix, in tanta voce valeto 20
  Et pia sint votis numina prona tuis.

(5) *Lacuna in codice est.* negetur C. (6) ceperunt C. chohortes C. (7) quam C. latiores C. (13) sexumque dotat C. (15) protrhait C. (18) calores C. (19) Molia C.

VII.

Dominæ Angelæ de Nogarolis Veronensis ad Antonium Luschum.

Si modo me veniens studiis iuvenilibus actam
  Solicitamque pilæ vanisque intendere ludis
Vidisti, te nulla quidem miratio facti
  Commoveat; labor stimulos frenare iuventæ.

Extat in cod. lat. Monac. 504 *(M)* et in cod. Veneto Marc. lat. cl. XII. cod. CCX *(V)*. Extat etiam in cod. Vatic. 5221 chart. sæc. XV p. 122. cum hoc titulo: Isotta Nogarola cum virgo ad pilam cum sociabus domesticis luderet, superveniente Guarino præceptore suberubescens subscripta carmina edidit atque transmisit.

In titulo Dominæ *om. V.* Ang. Veron. de Nog. ad Ant. Luscum *M.*

(2) navisque *M.* (3) nulla quid *V.* (4) commovent *V.*

VIII.

Ad spectabilem ac generosam dominam dominam Magdalenam de Scrovignis per dominam Angelam de Nogarolis de Verona.

SPECTABILIS, generosa, tamquam mater honoranda, ut per aliarum notam litterarum vobis intimavi, infelicissimum acerbumque decessum generosi militis, domini Iacobi, germani vestri, gemebunda suscepi. Cuius inte- 10 ritus quantis mæroris aculeis vestri pectoris vallum propulsaverit, ex nostri cordis anxietate coniecto; mei namque pectoris claustrum parili vulnere sauciavit, ac si proprii fratris obitum accepissem, tum ob cari- 15 tatem quam erga me geritis, ut experientia

Extat in codice Riccardiano *(C)* 784 fol. 144. nr. 45.
(3) Serovigiis C. (10) gemebundum C. (13) Mei nun quam C.

comprobavi, tum ob eius contemplationem, quam sinceram percolebam. Sed ut famulis vestris eximius Severinus asserit, constat æternum positumque lege, ut constet geni-
5 tum nihil. Pro tanto velitis fortitudinis ac consolationis spiritum assumere nec ad lacrimarum arma more pusillanimis muliercula ignominiose confugere. Fateor tamen neminem posse talis tantique viri siccis lu-
10 minibus funus aspicere et stagnantes lacrimarum rivulos retinere. Sed eos certe modestiæ arbitror repagulis refrenandos. Fletuum enim quantiscumque fluctibus non redimeretur nec redimi posset ullatenus. Om-
15 nes ad devorabilem mortis Caribdim irremeabiliter compellimur. Iste autem debitum quod minime poterat evitare persolvit, qui forte nobis iam ad ardua non caduca scandit. Erat quodammodo necessarium, vos ad
20 terream molem retineri alligatam. Dum tamen in huius procelloso vitæ salo degeret, sibi nomen ob eius benignitatem in-

(12. 13) **Fletibus cui (?) quantuncunque C. (16) copellimur C. (18) iam] ne C. (18. 19) scandentur, erat quod admodo C. (20) retinens alligatum C.**

clitum vendicavit. Quem ab humano turbine nuper exemptum videre videor nostræ vitæ ærumnas desuper irridere. Valete im domino, ut opto.

(3) erupnas C.

IX.

AD SPECTABILEM GENEROSAMQUE ADOLESCENTEM

ANGELAM DE NOGAROLIS DE VERONA PIERIDUM CASTRIS EFFICACITER MILITANTEM

MATHEI DE AURELIANIS VICENTINI

AC EIUSDEM PROFESSIONIS AMANTISSIMI FAMILIARIS EPISTOLA.

METRICAM literam tuam versibus octo distinctam, virgo immo virago clarissima, nuper mihi delatam lætus accepi, lætior aspexi, lætissimus intellexi, in qua tot leporosa iocunditate excelse scripta perlegi, ut vehementer admiratione compulso mecum ipse contulerim, quam quidem natura nequit exiguo ambitu multa complecti et magna, et eo vehementius, cum animo volvam simul et cernam

Extat in codice Bibliothecæ Riccardianæ nr. 784 signato.

(4) Negarolis C. (8) amatissimi C. (16) excelso C.

te vix pupillarem ætatem egressam seu pæne adultam ingressam senescentis tamen ingenium verba notabili sententiarum pondere redimitam eiusdem literæ tuæ versiculis edidisse, adeo ut de te fari possim: 5

> Ecce puella senex dictu mirabile nostra est
> Et iuga Parnasi scandit amœna sacri.

Atque verum cecinit carmen dum dixit mirabile, ad tui sexum, ætatem, ingenium simul suæ dirigens admirationis intuitum, hæc divinae indolis tuæ Aonidum cultibus mirabiliter inhærentis laus, cui ulterius non insistendum duxi. Quid ni? Quis enim compos mentis res siquidem divinas satis abunde laudare crediderit? Nemo equidem, nec mirum; hoc quippe genere laudis laudans finitum, quod est laudatum numero infinitum, quorum, ut nosti, nulla est comparatio. Nec indolem tuam ob hoc me laudasse credideris nec a te compositum carmen tantum precor alliciat, ut exinde spiritus tuus inani debeat insolentia pertumescere. Siquidem, uti memini, aliquo-

(4) redimita C. (14) habunde C. (19) a *om.* C.

rum tanta est in hoc reperta temeritas, ut cum excelsis vatibus metris rupta fronte crediderint posse contendere. Hoc igitur a me non adulationis sed relationis more dictum
5 puta, ut idem spiritus tuus propitior ardentiorque factus in dies inceptum divini Elichonis ad studium animetur et tandem illo perfecto Caliopeas arces intenta conscendas. Quid nempe, ni refugis, tua demum perse-
10 verantia consequitur? Ceterum ut ab ipso versiculorum tuorum conceptu responsa componens exordiar, videor maxima mente quasi de fortuna hæc summatim queri, cur nobis fandi invicem locus non extet, cur dex-
15 teræ iungendi dexteram sublata facultas existat, quodque nos visendi, de Criseidis nostræ moribus et potentia disserendi assueta vicissitudo similiter adempta sit. Dictum tuum summopere delectabile tua eadem li-
20 tera continebat, alacrem quidem et iocundam Magdalenam nostram literæ præmissæ tuæ se non immunem afferre voluisse, cuius rei

(2) recta? (2. 3) crediderit C. (3) Hæc C. (15) iugendi C. (16. 17) Criseidi nostri C. (17) diserendi C. (18) adepta C. (19) sumere C.

gratia iam me tui calami interventionem læ-
tum reddere procurasse concerno. Subdis ex
parte corizantis Magdalenæ multa corizare
ec. Nec immerito, ut bene nosti ipsam ala-
crem iocundamque vocat et tu eamdem simi- 5
liter vultu corizare prænominas ec.

(1) me cui C. (3) M. multæ C.

X.

ANGELÆ DE NOGAROLIS

LIBER DE VIRTUTIBUS.

Ardua virtutum faciles cape, lector, ad usus ;
  Alta solent humiles carpere poma manus.
Utilis est operis magnos relevare labores
  Et grave per planum ducere pondus iter.
5 Verba nocent aptis si non proferentur habenis,
  Turbat ut Armenicam dissona corda liram.
Sæpe semel missam nequit os reticere loquelam,
  Sæpe nequit sisti qui male fertur equus.
Si nec ob hoc vivam tacitus contemno loquelam,
10 Non est pro lolio reiicenda fides.

Extat in unico codice Mutinensi VIII. E. 21 signato sæc. XV *(C)*, ex quo describendum curavit Antonius Cappelli, Bibliothecæ Estensis vicepræfectus doctissimus.

Titulum ego addidi ; in C hic extat titulus : Per Angelam de Nogarolis acog. Amor huc vsque.

(1) facilles C. (6) harmonicam? (7) nequid C. (8) semel *post* sæpe *ante corr. scriptum erat in* C. nequid C. (9) contempno C.

Vitrea pressa nocent delapsaque vasa terentur,
Os quoque nec mutum nec decet esse sagax.
Non est propositi sub verbis fallere nostri,
Si quis enim fallit, fallitur ipse magis.
Nil docto mendace potest truculentius esse, 15
Non decet immitem pellis ovina lupum.
Sed sibi plus alio patitur qui detrahit hosti,
Plus sibi quam cuique ferre gravatus obest.
Quamplures aliena notant, sua carmina nunquam,
Albula non oculis est manifesta suis. 20
Lingua modesta præest regibus dominisque superbis,
Omnia temperies exuperare potest.
Si timeas Dominum, te cuncta creata timebunt,
Obsequium regni regis amicus habet.
Non reverens Christum revereberis omne creatum, 25
Regi suspectus fronde cadente cadit.
Impia te fugiat neque alta superbia tollat,
Quo magis ascendit plus cito flamma cadit.
Glorificans humilem sequitur præcelsio mentem
Planaque plus arbor fructificare solet. 30
Altius ut scindit plus fervida tollitur unda,
Funditur in nihilum mens feritate tumens.
Inflat se nimia fraudatus laude superbus
Et nimio cantu pressa cicada crepat.
Gloria plus miseros solet offuscare superbos, 35
Denique plus claudum crura levare solent.

11) tenentur C. (12) docet C. (16) iminitem C. (27 nec C. (31) sindit C. (32) nichilum C. (35) ofuscare C. (36) solet C.

Inclita laus humiles sequitur virtutes amicas,
  Mollis enim vestis regibus apta placet.
Magna solent altos contundere fulmina montes,
40 Fructus tristitiæ sæpe superbum erit.
Læta fructificant cum valles fertilitate,
  Fructificant humiles, est quibus alta quies.
Vana superborum vacuat iactatio mentem
  Et tenuem pennam ventus abire facit.
45 Firma solet virtus humiles servare quietes,
  Non cadit in plana qui requiescit humo.
Sæpe solet blandus minace superbior esse,
  Sæpe magis rapida plana nocebit aqua.
Vult summo superesse deo, cum quisque superbit,
50 Sed cedens oleo quælibet unda subest.
Gratior est humilis, latitant bona cuius in imis,
  Plus fago cucumer sublatitando placet.
Non suus est humilis, sed se magis abnegat ipse
  Et multum fructum mortua grana ferunt.
55 Pestem nemo potest mulieris ferre superbæ,
  Nemo sub accenso sustinet igne manum.
Gloria quos inflat, crepitu iactantia frangit,
  Vesicæ tumidæ parvulus ictus obest.
Dat cunctis humilis, dat condimenta saporis,
60 Fercula cum condit, diligit ima piper.
Regum corda solent humiles pacare ministri,
  Nec sibi prostratis vult ferus esse leo.

(38) placent C. (39) confungere C. (44) penam venter C. (46) requiescat C. (51) humiles C. (52) sub latitando C. (58) visice C. (61) paccare C.

Difficiles non quærit opes humilis vir et aptus,
Quæque volant alte non capiuntur aves.
Invidiæ stimulos studeas vitare feroces, 65
Si subdas animo quæque superba tuo.
Se ferit ante suo si quem ferit invidiatu,
Vipera prole sua se perimente perit.
Pectora sæva dolent aliena prosperitate
Et glacies solis tacta calore perit. 70
Invida pestifero latitant in corde venena,
Et quo plus latitat plus basiliscus obest.
Sola sub invidia non est fortuna dolentis,
Sola carent stimulis ossa sepulta suis.
Omnibus innocui sunt simplicitatis amici, 75
Simplex ne noceat felle columba . . . .
Innocui nullo poterunt ledente lederi,
Fornax argentum purius igne facit.
Sæpe nocivus obest sibi, non cui credit obesse,
Sæpe sagittantem falsa sagitta ferit. 80
Invida per subitam morietur femina linguam
Iactaque per rabidam prora peribit aquam.
Dilectum plus habet pastor pecus ubere pleno
Plusque placet proprio femina casta viro.
Vir sapiens prodesse cupit nec ledere quemquam 85
Parsque valens corpus non ledit ulla suum.

(63) difficilles C. V. 68 *in C ante corr. ante v.* 67 *legebatur.* (68) vippera C. (70) glaties C. (72) latitant C. (76) colunba C. *Lacunæ signa ego posui.* (80) sagitatem C. sagita C. (82) Factaque C. rapidam (*conf. v.* 48)? preibit C. (83) dillectum C. plenus C.

Non nocet indicio livor prævisus aperto,
Ad visus hominis mox basiliscus obest.
Prævisos latitans perimit basiliscus ocellos,
90 Invidus anticipat quos nociturus adit.
Obstupet innocuus sibi cum videt prior hostem,
Vox fugit illius qui videt ante lupum.
Sæpe repentinus placidum mare ventus adinflat,
Invidus unanimem non sinit esse domum.
95 Fœda cruore suo crudum sunt ora leonum,
Sæpe suo dirum lividus ore notat.
Sæpe ferit lingua gladio crudelius anguis,
Invidus in verbis est homicida suis.
Vacca pio vitulum nunquam sine lingit amore,
100 Gratus vir lingua cuique placere solet.
Pulcra sub infestis requiescunt lilia spinis,
Mitibus et gratis nemo nocere potest.
Fervida corda gerens gelida revoceris ab unda,
Frigida sudanti pocula sæpe nocent.
105 Te tua præcipitat si non caveberis ira,
Præcipites odio sæpe vigore carent.
Mitia pacificam pariunt præcordia mentem,
Mitis nectareum parturit uva merum.
Pallida vexantes homines facit ira cruentos,
110 Sæpe gravis grando durius hoste ferit.

(89) basilischus C. (90) addit C. (91) hostis C. (92) quem C. (94) unamem C. (95) Feda C. crutum C. (96) dyrum C. (99) Vaca C. (102) Mittibus C. (105) caveris C. (109) Palida vexates C. cruentes C. (110) fertur C.

Proficit exultans gelidam vir nudus ad undam,
  Proficit herba virens non superata gelu.
Nanque dolet frustra de re quæ transitur ira,
  Mortuus in vanum sollicitatur equus.
Mansuetudo feram flectit sine verbere mentem 115
  Et gelidum membrum molle medulla facit.
Omnia vir placidus vitiorum prœlia vincit
  Omne animalque ferum placat amica manus.
Solus in adversis novit requiescere mitis,
  Solus ovat piscis, quando procella tumet. 120
Dissipat ira virum, per quam caro mensque necatur,
  Dissipat et frondes pronaque grando ruens.
Inreverens mulier solitam non deserit iram,
  Mortiferum semper virus in angue viget.
Nil muliere bona, nil est moderatius unquam, 125
  Nil ove sub cælo mitius esse potest.
Nobilis exuperat diras patientia mentes
  Et ferus a placida vincitur ignis aqua.
Labilis instabilem necat impatientia mentem
  Vincitur et validus sæpius igne Calips. 130
Non quam se alios habet iracundus amicos
  Utque aliis sibi sic vipera semper obest.
Magna quidem facies, validos si viceris hostes,
  Sed plus est animo se dominare suo.

(111) gelidus C. (112) verba C. (113) transiitur C. (114) solicitatur C. (116) menbrum C. (117) viciorum prellia C. (118) ferrum C. (119) adauersis C. mittis C. (122) et] e C. (125) mulier C. est *om.* C. moderantius C. (126) initius C. (127) pacientia C. (129) impacientia C. (130) vincit e velidus C. (131) quam *om.* C. (133) vinceris C.

135 Flamma domum superans non linquit abire colonum,
Ira virum memorem non sinit esse sui.
Nullius adversi patiens terrore movetur,
Firmius in saxo stat fabricata domus.
Duro spina sono crepituque laborat in igne,
140 Ira loquax homines asperitate cremat.
Sæpe lupum nocuit dapibus aluisse necandum,
Iracundus obest, cui sociatus erit.
Exsperata ferunt valiturum semina morum
Et sua vir patiens vota videbit ovans.
145 Frigora tristitiæ nunquam tua corda coercent,
— — — — — — — — —
Felix tristitiam mentis constantia frangit,
Felici glacies sole cadente fluit.
Læta parit longam felix constantia mentem,
Læto radicis munere ligna virent.
150 Tristitiæ vitium virtutes dissipat omnes
Et prohibet virens fructificare gelu.
Nil nisi quod tantum norit revocabile memor,
Nil nisi quod non est umbra pavoris habet.
Temperat insolitam mentis constantia linguam,
155 Frenis immoniti morigerantur equi.
Sæpe levi mulier mæroris frangitur ictu
Et tenulis herbis parvula pulsa nocet.

(137) Nulius C. paciens C. (142) sotiatus C. Experata *et* murum C, *corr. Aemilius Thewrewk. Post v.* 145 *pentameter excidit.* (148) patit C. (150) vicium C. (152) noverit C. (155) indomiti? (157) teneris? V. 156. 157 *in* C *ante corr. inverso ordine legebantur.*

Fortior est constans procelso femina monte
  Terraque plus stabilis cernitur esse polo.
Tristitiæ vitium non est nisi mortis amicum, 160
  Non nisi mors aliis vita draconis erit.
Carneus ex animo mæror solet esse superbo,
  Ex fœda testa fœtidus exit odor.
Dulcia dirus habet quasi sint contraria mæror
  Ipsaque leproso vita nocere solet. 165
Lætitiæ nutrix pascit constantia mentem,
  Vivere iocunde firmior esca facit.
Semet ad ima ferent religati Tartara tristes,
  Semet et araneæ musca dat acta cibum.
Sæpe ferox sequitur mox declinatio tristem, 170
  Fessus se mergit sæpe natator aquis.
Mens tua tristitiæ constantibus obviet armis,
  Hoste sub immiti vulgus inerme cadit.
Læta facit vigiles hominum constantia mentes,
  Formicam vigilem non premit ulla fames. 175
Durius assiduo ferrum consumitur ictu,.
  Crebris tristitiis annihilatur homo.
Uno turba fugit percussa et fulminis ictu,
  Tristis adoretur nec sociatus erit.
Provocat artifices proprio res capta decore 180
  Et facies hilaris crescere quæque facit.
Mardocheus ovans animæ mærore necatur,

(159) sternitur C. (160) vicium C. (161) *Delevi* est *post* Non. (163) feda C. fetidus C. (165) lepioso C. (166) poscit C. (168) yma C. (173) inuniti C. (174) vigeles C. mentis C. (175) vigelem C. (176) ferum consummitur C. (177) anichilatur C. (178) fluminis C. (179) sotiatus C. (181) illaris C.

Ledere mæsta volens mens sibi primo nocet.
At tristes casus inimici non hilarescas,
185 Vir probrum extrema plus sibi febre cavet.
Utilis est domibus pastus moderatior ignis,
Utilis est homini potus et esca brevis.
Igne domus valido consumitur intus et extra,
Igne cor, et corpus crapula rodit edax.
190 Sat solet esse bonum gentem superare cruentam,
Sed melius cupidam vincere posse gulam.
Libera sæpe ruit citius gula mortis ad ima
Et solet in præceps currere liber equus.
Impius in scelerum gaudet gravitate suorum
195 Lentaque balbutit lingua gravata mero.
Sordescit rivus pluviali plenus ab imbre,
Sordet et insolito flumine plena gula.
Fercula sæpe virum rapiunt metuenda gulosum
Escaque decipulæ sæpe retemptat avem.
200 Urbe fugit populus diro qui vincitur hoste,
Mens fugit, utque furit gutture victa caro.
Sæpe gula saturi pereunt absentia dicta,
Sæpe gula moritur ni reprimatur equus.
Nulla gulæ possunt fore sufficientia pesti,
205 Plus sitit ydropicus, cum sitiendo bibit.
Impia mortiferæ mens subditur ebrietati,
Vipera vipereo mordet amore parem.

(184) ilarescas C. (185) probum exterita C. (186) moderantius C. (188) consummitur C. (189) cori C. crepula C. (196) ymbre C. (202) absente C. (203) repprematur C. (204) suficientia C. (205) ydorpicus C. (207) vippera vippereo C.

Omnia luxuriæ cupidis dulcedine desunt,
Nil nisi sufficiens ignis habere potest.
Dulcius ebrietas intrat nocitura profanos, 210
Dulce sibi diro virus in angue manet.
Cum tibi vina placent, non immoderantia regnet,
Perdit enim cursus immoderatus equum.
Dissipat insignem tineæ corrosio vestem,
Ebria congestas femina rodit opes. 215
Alta ferunt sapidos sitientia vascula potus,
Sobria fert mulier gaudia multa viro.
Dulces sobrietas præbet virtutibus escas,
Dulces dat soboli mater amica dapes.
Umbra viatores nimio demulcet ab æstu, 220
Sobrietas homines absque dolore nutrit.
Abstinet ore suo quod pascat avicula pullos,
Abstinet ut sensus et bene doctus alat.
Non igitur superare gula feritatis amica,
Sed sis angelica sobrietate pius. 225
Luxuriam forti studeas religare catena,
Nam prodest rapido forte ligamen equo.
Luxuriamque magis lacerat mulcendo voluptas
Plusque cibo sapido piscibus hamus obest.
Blanda Venus diro præcordia fine remordet 230
Et Sirena canens membra quiete necat.
Innumeri lacerant fœtentia corpora vermes,
Innumeras pœnas luxuriosus habet.

(211) virtus C. (212) regent C. (213) equus C. (214) corosio C. (230) Blinda C. (232) lacerat fedentia C. *V.* 231 *et* 232 *ante corr. inverso ordine legebantur.* (233) penas C.

Ebrius est nullo iam mortuus aptus honori,
235 Mortuus eiicitur vilis ab æde canis.
Rex sua sceptrifero felix tenet omnia sceptro
Virque pudicitiæ cuncta quietus agit.
Grata paraleticis mors est vexatio membris,
Mors est, femineus dum male vexat amor.
240 Plurima lascivus cupiens nil obtinet apte,
Non habet in visco tenta quod optat avis.
Sola placent celebri convivia splendida regi,
Sola placent alto pectora casta deo.
Plus meretrix omni est sordida ceno,
245 Omni plus auro femina casta nitet.
Absque pudicitia labuntur ad infima mores,
Absque ratis malo nauta perire solet.
Sæpius hospitium dictat bonus hospes amicum,
Hospite dictantur pectora sæpe deo.
250 Fili spe vitæ semper . . . . . .
Spe celebris mellis fert gula læta famem.
Nullus avaritiæ stimulus tua pectora pungat,
Et ricius vulpi sæpe petitus obest.
Et nisi desit humus studet anxia fodere talpa,
— — — — — — — — —
255 Perpetuas acquirit opes vir qui miseretur,
Quo plus mamma nutrit plenior esse solet.

(236) septrifero C. (238) paralyticis ? mos C. menbris C. (240) optinet C. (241) tempta C. V. 244 *lacunosus est.* (246) ymfima C. (251) melis C. (253) Ericius *coni. Aemilius Thewrewk. Post v.* 254 *lacunæ signa ego posui.* (255) aquirit C.

Sæpe cupido sua consumitur anxietate
  Et minus esuriens illaqueatur avis.
Quidquid habent cupidi nihil est quibus omnia desunt,
  Amplius accendit cum datur esca faci. 260
Sæpe solent volucres alienos pascere pullos,
  Sæpe suas alvus dat . . . . . . opes.
Hinc timet, inde dolet, cupit hinc, si pausat avarus
  Ventus, spina ista sæpe quiete carent.
Non turbant adversa pios nec prospera tollunt 265
  Nec lauri foliis æstus hyemsque nocet.
Pestis avaritiæ fragili regnat in muliere,
  Sæpe etenim lignum siccius ignis amat.
Provida non capitur temerato femina quæstu,
  Capta cibum laquei non temerabit avis. 270
Extra viva fluit nec surgere desinit unda,
  Nunquam deficiet dans miserator opes.
Aret humus sterilis iactataque semina perdit,
  Quidquid habet perimens aret avarus homo.
Quisquis opes habitus nequit expugnare . . . 275
  Qui nescit multa nare peribit aqua.
Nemo deo præiussa sibi vitabit ab alto,
  Bos nequit imposito tollere colla iugo.
Anxius opprimitur, ditescit sæpe quietus,
  Planta perit motu, planta quiete manet. 280
Dat miseris solitum miseratrix femina victum,

(257) anxiatate C. (258) exuriens C. (260) facis C. (262) alus C. (263) timent m̃ d. C. avarum C. (268) ligidam C. siccias C, *corr. Aemilius Thewrewk.* (270) loquey C. (274) oret C. (275) *Lacunæ signa ego addidi.* (279) oprimitur C.

In ligno vili mella recondit apis.
Cæca licet cautum male mens disponit aratrum,
Nemo valet recte scribere luce carens.
285 Vasa sub incauti figuli fornace peribunt,
Mens sub avaritia perdita fugat opes.
Multi si fabricent aliquid dat pondus opusque,
Luctantes cupidi dant sua seque neci.
Spernens iustus opes multis miseretur egenis,
290 Cælum nulla petit pluraque quærit homo.
Pestiferos pellunt unguenta opima dolores,
Omne bonus vitium frangit amore pio.
Concava sæpe nocent ad equorum scandala cursus
Et sociis planum turbat avarus iter.
295 Non tibi præbebit oleum nisi bacca coacta,
Non tibi dat linum ni primo aretur ager.
Non mola dat gratam cribro nisi tersa farinam,
Non nisi cogatur præbet avarus opes.
Sæpe pilus turbat calami scribentis acumen
300 Communique bono mixtus avarus obest.
Pictor nanque prius proprio dat signa colore
Et sua cuique pii præmeditata ferunt.
Sanguis Azach fusus doceat te regis iniqui,
Ut tibi sint tuamet non aliena velis.
305 . . . . afestam constringe . . . . memoratus avorum,
Cum pluviæ superant insitaque . . . . nocent.

(282) mela C. (286) fugeris C. (289) hopes C. (295) oleus C. (297) N. mala d. gr. crebro n. tensa f. C, *corr. Aemilius Thewrewk.* (298) hopes C. (300) comunique C. (306) *Versus lacunosus est.*

Quærere magna solet stomachus fomenta . . .
  Sæpe canis latrans vulnera sæva facit.
Membra valere facit partum moderatione
  Et lira dulcisonos dat moderata sonos. 310
Sæpe focus nimius propriam consurgit in iram,
  Sæpe cibus nimius mors solet esse suis.
Sibilat esuriens miseranda milvus in . . .
  Et sua lascivus vota gemendo linit.
Stultus opes minuens damnum mercator ad . . 315
  Stulta Venus minuens lecta dolendo fovet.
Templa pudicitiæ nunquam fore tristia possunt,
  Nunquam continua sol sine luce manet
Sæpe libido solet truculentos ledere vultus,
  Sæpe solet pestis ledere membra latens. 320
Casta pio mulier veneratur amore maritum,
  Casta suum turtur novit amore parem.
Vir mulierque sibi servantes fœdera crescunt,
  Servant alterutrum se relevando pedes.
Nil est nobilius quam vir mulierque pudici, 325
  Nil potius gemino lumine mundus habet.
Anulus ex rutilo gratus solet esse lapillo,
  Gratis habet proprium femina casta virum.
Nil nocet in tantum quam si mulier dominatur,
  Flamma larem proprium transgrediendo nocet. 330
Perditur igniferis iuvenis meretricis ocellis

(307) stomacus formenta C. *Versus lacunosus est.* (310) dulcissonos C. (312) cibum C. (313) exuriens C. (315) hopes C. dampnum C. (320) menbra C. (329) quem C. (330) Flama C.

Et pius agnus obest prærapiente lupa.
Non timet insidias vigili qui regnat in arce
Inque pudicitia vir quasi Cæsar erit.
335 Stante pudicitia gaudet caro mensque . . . .
Ceraque melque fluunt donec . . . . apis.
Virtu . . . . . .
Virtus plus vicio sollicitata potest.
Ferrea vicino vis sæpe resolvitur igne
340 Nec vir erit stabilis cum muliere frequens.
Contineas igitur fugiasque libidinis ignes,
Nam loca sana solent frigidiora fore.

(333) vigigi C. arte C. (336) mel C. (337) Virti C, (339) Ferea C. Explicit liber de virtutibus Deo gratias Amen C *in calce.*

ZENEVERÆ NOGAROLÆ EPISTOLÆ.

I.

(Veronæ, mense Septembri, ut videtur, a. 1436.)

Zenevera Nogarola domino Iacobo Foscaro Veneto S. P. D.

Etsi sæpenumero, vir insignis, quidam pæne subrusticus pudor cupiditatem meam incredibilem deterruisset, ut meas ad te sane pueriles et abiectas litteras dare minime auderem, tamen cum absens epistolas non erubescere cogitaverim, plusculum quam pudor concedebat desiderio inpræsentiarum largiri visa sum, et eo magis, quia nonnulli admodum clarissimi viri tantam humanitatem in te uno asserunt, ut summam in te esse, si unquam in ullo fuerit, attestentur, tibique L. Paulum Emylium præponere visi sunt, qui cum Macedo-

Extat in codice Harleiano nr. 2508 sæc. XV. *(C).*
(4) S. P. D.] de laudibus litterarum C.

num regem Persem captivum adduci sibi non passus est, ei ornamentis populi Romani insignis occurrit ac illum magno cum honore in tabernaculum dextris coniunctis comiter
5 introduxit nec honorem in se dignum existimavit. Quod cum ita sit, non dubito, quin meum hoc sane reprehendendum consilium tua tibi comitate iocundum præbeas ac omnia ab optimo animo et dicta et cogitata tibi per-
10 suadeas. Lætor etenim magnopere te tantam opinionem omnibus attulisse, ut in tuum nomen atque in te solum se tota committat civitas nostra, cum te ad clara et excellentissima humanitatis studia penitus contuleris.
15 Multique adeo te in his litterarum studiis flagrantem prædicant, ut illud Galli cognomen tibi soli concedant, qui in studio demetiendi cæli atque terræ pæne mori videbatur, quem sæpenumero aliquid noctu scribere
20 aggressum aurora, et nox, cum mane cœpisset, oppressit, teque non solum Gallum in litterarum incendio imitari, verum etiam omnibus veteribus, quorum sapientiæ sitis nun-

(2) passus] coactum C. (4) communiter C. (13. 14) excelentissima C. (20) ingressum C. (22) immitari C.

quam repleri potuit, diligentia, cura studioque anteire, nec minori quidem cum labore quam illi, si discendi labor potius est quam voluptas virtutem capessere. Constat namque abiecisse quosdam res familiares suas et universis voluptatibus renuntiasse, ut solam nudamque virtutem nudi expeditique sequerentur, tantum apud eos virtutis nomen auctoritatis habuit, ut in ipsa esse summum boni præmium affirmarent. Et recte sane. Quid enim dulcius, ut Cicero fons eloquentiæ inquit, otio litterario? His dico litteris, quibus infinitatem rerum atque naturæ, et hoc ipso in mundo cælum, terras mariaque cognoscimus. Legimus in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adisse populos, maria transisse, ut eos quos libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Aegyptum et Archita Tarentum eademque omnia Italiæ, quæ condam Magna Græcia dicebatur laboriosissime peragravit, ut qui Athenis præceptor erat et potens cuiusque gymnasia per-

(4) capescere C. (6) et] ut C. (9) habuit] valuit C. (14) Hieronymus C *in marg.* (22) Athenas C.

sonabant, fieret peregrinus atque discipulus, malens aliena verecunde discere quam sua impudenter ignorare. Denique cum litteras quasi toto orbe persequeretur, captus a
5 pyratis et venundatus, etiam tyranno crudelissimo paruit captivus, vinctus et servus. Necnon et Cato, Portiæ familiæ princeps, Latinas litteras prope senex, Græcas iam ætate provecta didicit nec credidit esse
10 turpe seni discere, quod pulchrum esset homini scire. Solon præterea dicere solebat se cotidie discentem aliquid senescere, qui discere non posset nisi cum viveret, vivere noluit nisi cum disceret. Nam et Ptolomæus
15 princeps die quidem aut exercebatur in armis aut de subditorum negotiis ius dicendo decernebat, nocte vero libris ad lucernam incumbebat. Qua ex re quæ nobis vita iocundior esse potest, quam semper per excellentissi-
20 morum maiorum vestigia decurrere aut memoriam nostri quam maxime longam efficere, cum etiam Ciceronis sententia sit, posteritatis causa litteras esse repertas, quæ

(9) non cr. C. (16) discendo C. (20. 21) memoria C.

subsidio oblivioni esse possint. Et profecto tantas in se vires sapientia habet, ut omnibus imperiis anteponatur. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hispaniæ Gallorumque finibus quosdam 5 venisse nobiles legimus, et quos ad contemplationem sui Roma non traxerat unius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingressi aliud extra 10 urbem quærerent. Quapropter illustrissimo et inclito Venetorum principi parenti tuo ingentes agere deberes gratias, qui te non minus suis clarissimis rebus gestis, cum ab ipsa natura et animi et corporis dotibus con- 15 stitutus sis, ad summas res accendit quam Alexandri imago Iulium Cæsarem commoverit. Et profecto Venetus senatus se beatissimum appellat, cum ab eo tali viro et regi et administrari se intueatur, et in quo non 20 alio pacto spem suam, quam Romani in Bruto proconsule regibus exactis Publioque

(4) Hieronymus C *in marg.* (6) et quoad C. (12) parenti tuo principi C. (14) cum] quam C.

Decio et filio eius Cocleque Oratio et duobus Scipionibus utroque Africano et Catone inter illorum ætates interiecto locassent, cum ipsi non minus illis cum opus esset pro salute
5 patriæ periculum suscepturum haud ignorent. Quibus ex rebus cum ex ista regia urbe Venetiarum, quæ et omnium bonarum artium exercitationibus floret et cunctas civitates omnium copia exuperat, originem ducas
10 nec parentis deficiat diligentia, nil opus facto habes ad non mediocrem virtutem contemplandam. Perge modo et qua te ducit via dirige gressum. Macte nova virtute, puer, sic itur ad astra! Iacobe vale. Ex Verona.

(1) codicteque C. (4) cum] quin C. (6) cum *om.* C. (9) exuberat C. (10) nec] et C. (13) puer] nimis C.

II.

(Veronæ, a. 1436—1438?)

Zenevera a Nogarolis sapientissimo atque excellentissimo fratri Iohanni Papiensi sacræ theologiæ magistro salutem plurimam dicit. 5

Etsi satis antea, humanissime pater, Martinus modestissimus et eruditissimus præceptor meus de tuo erga me amore coram non parvo studio declaraverat, nihilominus tuæ mihi proximæ 10 litteræ redditæ tantum . . .

Epistolam in fine mutilam indicatam ab Andresio (Catalogo de' Codici manoscritti della Famiglia Capilupi di Mantova illustrato dal' abate Don Giovanni Andres. Mantova 1797) e codice manu scripto sæc. XV. in bibliotheca Marchionum Capilupi Mantuæ asservato et nr. XXIX. signato officiose descripsit Stephanus Davari.

III.

(Ex Pratalboino, mense Aprili a. 1440, ut videtur.)

IESUS.

Zenevera de Gambara ornatissimo compatri suo Darmiano de Burgo sal. pl. d.

5 SUPERIORIBUS diebus, compater carissime, Isota nostra tuum ferventissimum in me amorem mihi non ignotum litteris suis explicavit. Qua ex re magna mihi leticia aborta est, cum me 10 tuę fluxam non esse momorie hoc testimonio cognoscam. Que res quoque mihi honoris est, cum a te tam probato, tam gravissimo viro laudata esse dicar. Adiecit enim quantopere saluti ac dignitati mee invigiles 15 ac faveas. Quod ego profecto non ignoro

Epistolam tertiam et quartam ex autographis in tabulario Veronensi a Caietano da Re repertis edidimus.

(9. 10) *lege:* oborta *et* memoriae. (14) salutati *ante corr.* inuigeles *ante corr.*

tibique pro his meritis gratias agerem, nisi iam dudum tantum inter nos familiaritatis ac benivolentie conflatum esset, ut supervacua videretur hec vulgaris gratiarum actio. Tue tamen humanitati tam maximas gratias 5 habeo, quantas verbis explicare non queo. Miror tamen, quod tuteipsemet, ut illa scribit, tibi persuades memoriam tui apud me penitus non esse. Nescis profecto, quantopere ex multis nunciis de tui ac uxoris nato- 10 rumque tuorum statu interogaverim. Quod si scires, ab illa inhumana opinione, ut te decet, abstineres. Tu enim magnagnopere mihi carus acceptusque existis, te ut olim diligo, amo et observo, te omni caritatis 15 officio complector. Nec vero aliquo repentino impetu te colo, sed summa voluntate ac studio. Tuum autem erit, compater ornatissime, ut tuo me utaris arbitratu. Tu modo, ut facis, in me amando perge. Obsecro te, 20 ut ad me litteras tuas si potis est sane des. Dic salutem uxori tue, commatri mee, ver-

(11) status *ante corr.* (12) sires *ante corr.* (13) *lege* magnopere.

bis meis, quam maiorem in modum videre cupio, teque non minus. Brunorius vos salvere iubet, quos summo desiderio videre cupit. Vale. Ex Pratalboino.

A tergo : Ornatissimo ac eruditissimo viro Darmiano de Burgo compatri carissimo

Veneciis.

IV.

(Ex Pratalboino mense Ianuario a. 1441, ut videtur.)

IESUS.

Zenevera de Gambara doctissimo compatri suo Darmiano de Burgo sal. pl. d.

SUPERIORI hoc tempore, compater ornatissime, cum una essemus hic apud me, maxima quidem cum voluptate pactum fuit, ut te non fugit, inter nos, sepe ut vicissim litteras daremus. Qua ex re maxima lęticia affecta fui, cum quia ex tuis litteris aliquid boni novique legendo semper discerem, tum quia me iam diu dormientem a somno excitares. Sed ut mihi videtur aut negligentia, si aliqua in te est, aut mei oblivione, id a te minime factum est. Presertim cum te ipsum, qui et ingenio et etate sapientiaque me antecellis (hui, quid dixi!) immo ceteros sapientiores, ut principium dares attenderem. Sed ut antea dictum est, cum

tu huius scribendi certaminis ducem esse minime voluisti, decrevi brevi ad te scribere, non quod novi quicpiam significarem, sed ne ab epistolandi officio abducerer. Saltem id
5 coligis me valentem et fortem, quo pro tua in me singulari et pene peculiari pietate certo scio nihil tibi voluptuosius afferi posse. Et quamquam me plurimum tibi tuo in me beneficio debere semper edixerim, fatebor tamen
10 ingenue obnoxam me tibi ut non possim magis. Nam cum incredibili quadam humanitate atque summo atque nimio, ut ita dicam, amore tuo ita iam me amare, colere et laudibus prosequi prope maximis constitueris,
15 ut nihil a te pretermissum sit, quin in amplissimam dignitatem auxilliis tuis constituta essem, quapropter tibi tales debeo grates quales Exculapio aut patri eius Apolini exibebant a langoribus emundati. Quid enim
20 audire potuissem amenius aut quid sentire salubrius aut quid legere gratius, quam amorem tuum erga me tam aperte perspectum, ut pene oculis cerni possit? Qua quidem in

(1. 2) *ante* minime *deletum est* nolueris. (10) *lege* obnoxiam.

re quam diu multumque cogitavi, quonam pacto comprobare me tibi aliqua ex parte possem quidve pro hisce tuis in me benemeritis retribuere, occurit profecto aliud, nisi quod cum summis tuis beneficiis con- 5 fere audeam quam animus ipse meus, qui adeo de se presumit, ut ne a quocquam vinci aut superari paciatur, quin et si non operibus parem, voluntate tamen et suapte natura superiorem quasi arbitratur. Accipiendus ita- 10 que est tibi animus ipse solidi quasi pignoris instar. Itaque me tibi totam dedo. Et quę te prius diligebam nunc amo, que te prius laudabam nunc admiror, et que prius ex aliis fortitudinem, equitatem, fidem audieram, 15 nunc hisce, ut aiunt, oculis summam in te vidi, liberalitatem adicio et animi simplicitatem, comitatem et ornamenta quedam veneranda potius quam laudanda. Istisque profecto virtutibus amiciciam tuam omnibus rebus ante- 20 posui. Nec quicquam facilius nec iocundius in vita mihi contigisse certo sciam. Quid plura? Tu ut cepisti, me ama meque im-

(13) deamo *ante corr.* (15) audierem *ante corr.* (21) iocundius quicquam in *ante corr.*

primis amantissimam tui arbitrare. Te profecto fixum in corde gero, tecum seria confero, tecum iocos solitos, et quamquam absim, tecum vivo totaque sum. Tu velim ad me
5 scribas, utrum mater et fratres mei Veronam petierint, que res periocundissima erit. Duc, si potis est, ad nos d. Ant. fratrem meum, quem videre depereo; fac nunc, ut promissa appareant tua. Scis, quid dico. Iube istic sal-
10 vere omnes amicos nostros et imprimis uxorem tuam, quam videre cupio ob ingenii suavitatem et elegantiam egregiosque mores, illos quidem in muliere admirandos et magnificandos. Sed perbrevi, ut spero, aderit
15 tempus, quod nos omnes una erimus. Vale ac domino Ioani dominoque Iacobo Lavagnolo me pl. comenda; salvas fac ambas sorores meas. Socrus mea te atque dominum Iacobum dominumque Ioanem sororesque
20 salvere iubet. Iterum vale decus nostrum.

A tergo: Doctissimo ac ornatissimo compatri Darmiano de Burgo Veronę.

(18) mea brunoriusque te *ante corr.*

APPENDIX.

Iacobus Ludvico Salutem Pl. D.

(Veronæ, a. 1436.)

VOLUI ad te sæpissime scribere, Ludvice suavissime, quam felix hæc urbs nostra et fortunata sit, quantumque nonnullas alias civitates antecellat, potissimum quoniam duas ex se procreavit virgines, quæ et meo et multorum doctissimorum hominum iudicio omnes alias etiam ætate grandiores et litteris et corporis pulcritudine aut superant aut æquant. Verum cum multis impeditus fuerim ne-

Extat in codice Guelferbytano et Monacensi nr. 522.
Iacobus Ludwico de Ysotha et sorore virginum laudibus. Iacobus ludwico S. p. d. *G.* (4) ludwice *G.* (9) procuraverit *M.* (11) etiam] ex *G.*

gotiis, nullo pacto otium litteris suppeditare potui. Nunc vero cum quandam illarum virginum epistolam quidam familiaris mihi legendam tradiderit, adeo earum admiratus sum ingenium et eloquentiam pari gravitate coniunctam, ut negotiis omnibus flocci factis meis et postmissis omnino de ipsis virginibus ad te scribere decrevi, quæ tanto magis admirandæ sunt et observandæ, quanto fenice (ut ita dixerim) rariores inveniuntur mulieres, quæ studiis operam impertiant. Ex altæ Nogarolæ familiæ sanguine Ginebra et Isota virgines venustissimæ genitæ sunt, equestris ordinis viri Anthonii a Nogarolis germanæ. Quas si videres, non nostri temporis virgines, sed Dianæ socias prorsus existimares ac Venerem ab ipsis (ut ita dicam) crepundiis lactem eis præbuisse diceres. Ita enim earum oculi, frontes, vultus, ora, labella tenella, nasa pulcerrima, eburneæ manus, aurei capilli et cetera membra composita sunt, ut nihil pulcrius, nihil suavius, nihil admirabilius

(2) vero *om.* *G.* (3) mihi fam. *G.* (6) floci *G.* (11) impercientur *G.* (12) Ysota *G.* (14) ginane *G.* (15) non] nunc *M.* (16) dyane *G.* (20) vasa pulc. eburnei *G.*

videre quis posset. Legi sæpenumero de Græcæ pulcritudine Helenæ, ob quam excidium Troiæ subsecutum est. Quam si his virginibus nostris comparare volueris, nihil quippe perfeceris, cum has ex cælo missas 5 omnes arbitrentur et teneant. Hæ profecto dum incedunt tantam modestiam pari benignitate ac hilaritate coniunctam præ se ferunt, ut omnes admirari necesse sit et eas quodammodo incredibiliter amore maxime persequi 10 Hæ dulciter agilibus cimbala propulsant manibus, hæ saltibus artifices apprime movent pedes, hæ denique æquisona immo potius angelica voce concinunt. Adde, quod et ipsarum pulcro veniens in corpore virtus adiuvat, hæ 15 adeo litteris operam impartiunt, adeo ac regulari delectantur eloquentia, ut quamquam nondum suæ vitæ quatuor lustra compleverunt, non dubitem eas inter ætate grandiores

(1) videri *G.* (3) Troye *G.* hiis *GM.* (4) comperare *M.* (5) celo *GM.* (6) arbitrarentur *M.* tenent *G.* Hee *GM.* (9. 10) et ea quodamodo *M.* (11) hee *GM.* cimbola *G.* (12) hee *GM.* (13) hee *GM.* equirrea *G*, equireca (equiseca?) *M*, exquisita *coni. Aemilius Thewrewk.* ymo *GM.* (14) concinnunt *M.* (15) hee *GM.* (16) imparciuntur *G.* (16. 17) regulis *M in textu*, regulari *M in marg.*, regina *G.* (18. 19) expleverint *G.*

homines et eloquentiæ vi pollentes annumerare, cuius quidem rei testes sunt earum epistolæ quam plurimæ, orationes et gravitate et vocabulorum elegantia refertæ, ac nonnulla
5 carmina ab ipsis virginibus edita, in quibus cursus est atque ut Plinius diceret robustas. Animadverterunt virgines egregiæ, quod oblivionis morsus evadere non poterant, nisi se litteris illustrarent, et cum intellexerint hac
10 potissimum eloquentia docta per ora virum volitare posse, eam tamquam parentem venerantur et quantum possunt dulcibus fovent amplexibus. Et merito quidem. Cogitant enim, quanta sit vis eloquentiæ, ex qua sæpissime
15 crudelissimorum hostium animi et sanguinem cupientium effundere leniti sunt. Legitur enim, quod cum a quibusdam sævissimis ducibus milites ad Marcum Antonium obtruncandum missi existerent, ipse orare cœpit,
20 cuius oratione milites stupefacti strictos iam et vibratos gladios non aliquo cum cruore

(2) cuius] cum *GM*. (6) robustus *G*. (7) animum adv. *M*. (9) hac] ac *GM*. (10) dicta *M*. (14) eloquentia *M*. 15) animum *GM*. (17) quod cum *om*. *G*. (18) Anthonium *G*. (19. 20) cepit cum oratione *GM*.

vaginis reddiderunt. Pisistratum tantum in dicendo valuisse tradit antiquitas, ut Athenienses eius oratione capti imperium ei regium permiserint et servitutem libertati prætulerint. Quid dicam de harum pronuntiatione? 5 Nam cum eloquentiæ ornamenta in pronuntiatione consistant, huic adeo operam dederunt tantaque in pronuntiando vocis moderatione vultus et gestus utuntur pari venustate coniuncta, ut nullum indigeant, quo pro- 10 nuntiationis modos eburnea quadam fistula notarent. Quid plura? Cum eas orantes audio, ipsas Qu. Hortensio comparare non dubito, quem plus studii in eadem pronuntiatione quam in eloquentia affectanda imper- 15 tisse traditur. Sed quid longius expatior, cum si ipsarum virginum virtutes tibi perscribere cuperem, ante diem clauso componet vesper Olimpo. Tuæ igitur partes erunt, mi Ludvice, ut mecum huic civitati nostræ congratuleris, 20

(4. 5) pretulerunt *GM.* (5) pronuncciatione *M*, pronunciacione *G* *(similiter codd. infra).* (7) consistunt *M.* (11) fistola *G.* (12) vocabant *G*, forabant *M.* (13) Qu.] quasi *M.* comperare *M.* (14) quoniam *M.* in earum pr. *M.* (15. 16) impertissime *M.* (17) tibi *om.* *G.* (19) ludwice *G.* (20) huic nostræ civit. *G.*

quæ non solum doctos viros, verum etiam doctissimas mulieres de se natas conspicit, quarum eloquentia et doctrina illustrabitur per modum quod nulla unquam ipsarum obscu-
5 ratura sit oblivio. Pro quarum quidem virginum valitudine in Apollinis templum descendere decrevi et ibi peractis sacrificiis genubus flexis manu tenens faculam ipsi preces effundere, ut virginibus ipsis longæva vitæ
10 tempora præbeat, quo laudes nostræ civitatis canere et litteris illustrare possent. Vale.

(1) etiam] et *G*. (6) appollinis *G*. (7. 8) genuis *G*. (8) tens *M*. (9) longeve *M*.

NICOLAI LVSCI VINCENTINI

AD GENEROSAS VIRGINES

ZENEBRAM ET ISOTAM DE NOGAROLIS FELICITER INCIPIT.

AVLITES. CVRINGOMIVM.

Aulites:

Quid facis Aulites? Tua quo mens cessit in umbra?
Solus ades pecorum tot circum pascua custos?
Ocia quid teris? En nimio compulsus ab æstu
Grex tuus omnis opaca petens arbusta quiescit
Tuque iaces piger hic, carminis immemor inter 5
Ignavum pecus ignavam teris, inprobe, vitam.
Quin age quam septem compactam inflare cicutis
Pan dedit et summo pastorem ornavit honore,
Fistula iam nimios reprimit modulata calores.

Curingomium:

Obstupeo iamque o pastores, cedite cuncti 10
Carmine, ruricolæ cuncti iam cedite! Maior

E codice CCLXVI. sæc. XV. Bibliothecæ Capituli Veronensis *(C)* officiose descripsit Caietanus Da Re.

(6) Ingnavum C. (7) Quim C. compacta iflare C. (9) ian C. (10) ianque C. (11) ian C.

Vis cantus audita meis sedet auribus ipsum
Silvanum victura patrem, nec tanta canendo
Pan valet, Arcadicos calamo qui detinet amnes.
15 Et quisnam facinus mirandum crederet! Illæ
Namque puellari veniunt de pectore voces.
Miratus quas nunc: O felix utraque dixi
Virgo! Pater superis felix si vescitur auris,
Mater et o felix, utero quæ talia gessit
20 Pignora, felices fratres, urbs denique felix
Illa est, quam colitis, quam vestro numine claram
Redditis et cuius nomen super æthera fertis!
Sed num quis canit hic? Sonitus quis venit ad aures?
Aulitæ mirum est si non sit tibia nostri.

Aulites:

25 Solus, io, montes pulsataque littora fluctu,
Dum cano, et o circum frondenti vertice silvæ
Et si quis nemorum luco deus errat, in illo
Audiat et cantu nostro cava saxa resultent!
At si quis deus hæc non audiat et sua Panna
30 Menala habent, desint Satiri Driadesque puellæ
Et sileant montes, vos respondete cicadæ!
Omnis amor nostri est in carmine, sola voluptas,
Cum stabulis armenta iacent aut pascua servo,
Illa mihi vel cum pecorum certasse magistro

(14) Pam C. (15) mirandun C. ille C. (16) Nanque puelari C. (17) fœlix C. (18) fœlix C. (19) tallia C. (20) fellices C. (21) collitis C. (23) nam C. (24) no est (*suprascr.:* vel sit) (25) lictora C. (31) cichade C. (33) Cun C. (34) cō C. magistrum C.

Aut cum Faunorum gregibus vel teste Menalca, 35
Maximus in nostris qui montibus omnia novit,
Cantandum qua voce, modis quæ fistula perflet.
Victoremque me hac donavit arundine nuper
Pan : Puer, et dixit, conpacta hæc fistula nostris
Est manibus, puer hanc merita pro laude teneto. 40
Ut flores sectantur apes frondesque capellæ,
Ubera perquirunt teneri sub matribus ædi
Et vites deflexæ ulmos roremque cicadæ,
Messis aquas crebrosque petit madefacta calores,
Sic ego carmina semper amo seu carmina mavis, 45
Quæ Febo vel quæ nemorum sint grata puellis.
Illa omnis pellunt curas et degere dulcem
Inter lætitias faciunt et gaudia vitam.
His ego pastores mira dulcedine captos
Detineo pecudumque oblitos dicere laudes 50
Sæpe meas adigo, et si quis certare canendo
Audeat, hunc victum calamis et carmine privo.
Nuper et hic, nuper, tu testis maxima pinus,
Audentem versu contendere vicimus Eglem.

Curingomium :

O quantum hic sese nullo sub iudice iactat 55
Et quam virgineis cedit carminibus ille !
Dulcius emittunt stringenti littora vento

(35) con C. (37) camtamdum C. (40) pro merita C. (42) edi C. (43) victes d. uulmos C. (44) mesis C. (45) senper C. (46) puelis C. (54) audenten C. (55) sesse C. (57) emitunt C. litora C.

Carmen, et edenti submissum flumine murum
Aut apibus, partis repetunt cum floribus ædes.
60 Nec matutino cantat tam dulce sub ortu
Frondenti philomena sedens super arbore, nec sic
Aut moriens cignus canit aut tecta inter yrundo.
Sed quid agam? Nonne ipse canentem talia de se
Alloquar? At me iam demisso carmine vidit.

Aulites:

65 Venisti, puer, huc, quo non mihi gratior alter,
O tandem, expectate mihi. Nam solus in umbra
Iam pridem iaceo atque hic circum singula lustro,
Si qua te, aut nostrum possem vidisse Menalcam,
Quos ubi non video, soli tibi carmina, dixi,
70 Sunt cantanda, puer, soli tibi carmina canta.

Curingomium:

Audivi veniens et vox tua perculit aures
Et procul hinc astans tua carmina cuncta notavi.

Aulites:

Quasne tibi laudes visa est mea Musa mereri?

Curingomium:

Quas est Dametes, cum teste Palemone certans
75 Alternos cecinit recubans in gramine versus.

(59) com C. (64) ian C. (66) unbra C. (67) circom C. (68) uidise C. (72) conta C. (74) Qiras C. conteste C.

Verum etenim maius vel quam canat ipse Menalcas
Dulcius et quam sit pastoris fistula Lini
Nuper ab hoc veniens audivi vertice carmen
Atque ego Silvanumve patrem vel Panna putavi
Certantes, quis plura valeret carmine. Verum 80
Accedens propius geminas cantare puellas
Aspicio paribusque animis nec dispare forma.
Omnis ibi ad cantum positis pendebat aratris
Agricola, innumeræ stabant circum undique captæ
Hinc volucres atque inde feræ leporesque fugaces 85
Pacatosque inter procumbere dama molossos,
Inter oves astare lupi, descendere quercus
Montibus et Fauni toto decurrere luco,
Quales audivi nostrum cecinisse Politem
Orpheaque et patrios condentem Anfiona muros, 90
Orphea plorantem nimium pro coniuge rapta,
Atque hunc elata dantem pro coniuge pœnas.
Has ego Dianam et Naiadum unam esse putabam
Et tantum hoc sæpe est mihi Cintia visa sub antro
Nec nimpham tam dulce canentem audisse videbar, 95
Non Eglem, Dotom, Galateam Cimodocemque.
Accedo et pariter mirantem interrogo Linum,
Anne hæ Naiades, o Line? Ille excipit: Haud sunt
Naiades, sed quæ Naiades vincere possent.
Mortales cernis nec quæ mortalia tangant 100

(81) Acedens proprius C. puelas C. (83) sibi C. (85) adque C. (86) procombere damna C. (88) decurere C. (93) naiadun C. (95) ninpham tan C. (97) acedo C. interogo C.

Promeritas summique fruantur numine cæli.
Plurimaque hinc mihi de virginibus edidit illis,
Mirantem quibus et stupidum me reddidit. Ex hoc
Nec Lini mihi Musa placet, nec Musa Menalcæ.

Aulites :

105 Ivit et hæc nostras, at non tam lata per aures
Fama puellarum; sed non audisse canentem
Nec memini vidisse, licet me magna cupido
Dudum habeat coramque affari et pascere carmen,
Dignatæ minimum agricolam si forte fuissent.

Curingomium :

110 O tibi si pergam cunctas producere laudes,
Quas dixit Linus quasque est mihi visa mereri
Utraque virgo, deerit tempus et atra fugato
Sole super terras noctis se congeret umbra.
Primum illud tibi de quam grandi laudis acervo
115 Accipe, nam genere exuperant et sanguine claro
Semideos, quod multi ex illa stirpe fuerunt
Semidei, quos si hæc componas tempora priscis,
Tesea nescio quem—nam non hæc cognita nobis
Nomina sunt, nisi nunc audissem—æquare ferebant.
120 Præterea Alcidem memorabant Aeacidemque,

(103) redidit C. (105) no tan C. (106) puelarum C. (108) affarri et pasere carmem C. (110) contas C. (111) mihi est C. (112) tenpus C. (113) teras C. unbra C.. (115) nan C. (117) tenpora C. (118) nesio C. nan non C. congnita C.

Hectora, — sed non sunt nostris hæc sueta sub antris
Desertosque inter versari nomina montes.
Hæc Nogarola domus, multum nobilior omni
Quas Verona habeat soror aut Vincentia proles,
Hoc tulit hoc genus has tanta virtute sorores, 125
Quarum si laudes præconiaque inclita cernes,
Non maius cepere sua de stirpe puellæ
Quam generi iunxere decus. Namque utraque casto
Pectore Dianam et comites quascunque Dianæ
Aut superant vel, si haud possint superarier, æquant. 130
Præterea non has sanctis Lucretia vincit
Moribus aut recubans Siculo modo tuta sub antro
Persephone, nostras unquam si venit ad aures
Persephone, quam transgressam præcepta parentis
Audivi Stigias Ditem rapuisse sub undas 135
Instructam ingenti tamen ornatamque pudore.
Exemplum in tenera sunt virginitate decusque
Omne pudicitiæ, quarum si lumina cernas,
Illa inter dices infusam Palada, dices
Ipsum illic sedes sibi delegisse pudorem. 140
Si vero formam aspicias, quæ gratia nuda est,
Quæ placuit tantum sibi, dum se in flumine cernit
Perspicuo natans ea vel si Cintia tantum
In vaccam conversa Iovi quæ canduit Io.
O quantum bene forma decens cum pectore casto 145

(121) hæc *om.* C. (129) quaqunque C. (132) aut] ad C. (133) Persephones C. (134) Persefone C. (137) exenplum C. (141) nula C, *corr. Aemilius Thewrewk.* (142) dun C. (143) Perspicu C. natas C. (144) vacam C.

Accubat alternisque nitent splendoribus ambo!
O si quando tibi detur vidisse canentes,
His cedat quæcunque puella decore iubebis,
Carmine et his omnis cedat, qui carmina cantat.
150 Hæ norunt quicquid quondam sub montibus illis
Cantasti Melibæe, gregis quid Titire custos
Cantasti, quicquid Coridon, dum fervet Alexim,
Quicquid Dametas, quicquid cecinere Menalcas,
Quod Mopsus, Tirsus, quod Damon et Alphesibeus
155 Quodque Mœri et Licida, dum vos via ducit in urbem.
Præterea si qui cecinerunt prælia, norunt,
Si quis et agricolis descripsit carmine leges,
Qui sata, qui pecus et vites et pascua curent.
Atque hæc dum nimia dulcedine carmina cantant,
160 Maius in ora decus formæque nitentior illas
Intrat honos atque esse deas tunc sidera cæli
Promeritas, quis non putet? Quis talia divum
In se habuit? Si digna polum dant præmia cuique,
O felix nimium, o felix nimis utraque virgo!
165 Sic vobis et Apollo pater Cirræque sorores
Aspirent longamque inter tot gaudia vitam
Degere dent meritosque ferant dii semper honores!

Aulites:

Magna quidem memoras et de quibus ipse ferendam
Esse fidem solique tibi Linoque putarem,

(146) anbo C. (148) puela C. (150) quidquid C. (155) meri C. dun C. uiua C. (161) atque *om.* C.

Quamquam illo fuerit nuper de sanguine virgo 170
Angela, non illis animo vel carmine dispar.
Sed moriar, si non valeat quis plura canendo.
Experiar nostrumque suo cum carmine carmen
Componam teque, ipse velim, te iudice cantent.

Curingomium :

Vinceris, mihi crede puer, vinceris et impar 175
Magna quidem nimis ipse tibi certamina sumis.
Quin potius victum prius et quam prælia temptes
Te fateare velim tuque has in sidera tollas
Laudibus et maior sic erit tibi gloria quam si
Audacem cantando velis committere pugnam. 180

Aulites :

Visne ita? Sed voveo nunc hoc sibi carmen, in umbra
Dum iaceo et tu testis ades. Quicumque, puellæ,
Vos habet, o, quicumque locus, convertite vestros
Huc animos! Solæ cantando Panna potestis
Vincere, Naiades solæ Satirosque procaces, 185
Cumque pares solæ toleratis Apolline Musas.
Quantum olea est pinu fecundior et ramoso
Pulchrior est quercu pinus vel arundine quercus
Firmior, ac salice ut est rectior omnis arundo,
Aulites tantum vobis ego carmine cedo. 190
Plura alia, cum plura dabit mihi dicere tempus.

(173) Esperiar C. con C. (174) conp. C. uelin C. (177) Quim C. (181) nonc voveo C. (183) ho C. (186) appoline C. (188) pinu C. arrundine C.

Hæc nunc sufficiant primis pro laudibus. At tu
Nullane virginibus componis carmina mecum?

Cuiingomium :

Sunt gemini in stabulis ægro mihi pectore tauri,
195 Alternis dum bella cient qui cornibus ambo
Vulnera sæva dedere sibi. Nunc cura premit me,
Ut quos non hodie vidi, dum carmine vestro
Detineor, tandem ante umbras noctemque revisam.

FINIS FŒLIX.

(196) sceva C.

IO. MARII PHILELPHI ISOTTÆUS
LIBER.

Clara Lanzavegia Mario Philelpho Poetæ Sal.

Clara rogo Marium, precibus si flectere possim,
Quas referam paucis; sum namque ea Clara, maritus
Cui ab Alexandrina Lanzavegia gente
Est Iacobus, et hoc quod postulo, fœmina quamvis,
5 Fœminei mi caussa boni est. Mulieribus omnes
Detraxere viri laudes, dixere cavendas
Esse illas stolidasque nimis nullique dicatas
Virtuti; at quanta hic sit sub muliere volente
Ingenii vis, quantus honos, quæ gratia linguæ,

E codice Bibliothecæ S. Michaelis Venetiarum prope Murianum *(C)* edidit Io. Benedict. Mittarelli in «Memorie per servire all' istoria letteraria» (Venezia 1755. Tom. VI. Parte 6, p. 41—57. Tom. VII. Parte 1, p. 17—22). Unde benigne intercedente Carolo Schrauf officiose descripsit V. Hartl, Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis custos doctissimus. Cum codice Bibliothecæ Capituli Veronensis nr. CCLXXI *(V)* conferendum curavit Petrus Sgulmèro.

(2) Que *V*. (6) dixere qui unas *V*. (9) quantusque *V*.

10 Possit Isotta suo nos Nugarola decore
Edocuisse satis, cui gratulor et cupio sit
Posteritas quam nostra colat stupeantque futuri,
Hocque magis, fratres quod tres dedit orbis Isottæ
Militiæ insignes titulis. Hanc ergo precabor,
15 Carmine honoratam reddas iungasque, Philelphe,
Concilio illarum, quas sæcula prima verendas
Dixerunt coluitque deas latissimus orbis.
Hoc ego te supplex rogo, me donare, poeta,
Munere digneris, precibus quod Isotta meisque
20 Vocibus assiduis tanto celebretur honore,
Quo mihi nil poterit terra præstantius omni,
Gratius esse nihil; concede, poeta, roganti.

IO. MARII PHILELPHI

artium et utriusque iuris doctoris, equitis aurati et poetæ laureati, ad magnificum equitem auratum Ludovicum Nugarolam præfatio in Isottæum librum.

Fama refert, ut Isotta soror tua virgo, relata est
Ad superos; huius vita canenda placet.
Et quoniam virtus pro laudis honore precatur,
Sit mulier nobis hic quoque materia.

(10) decoro *V.* (16) verendis *V.* (21) nichil *V.*
(1) ut Isotta soror sit virgo relata *V*, *in quo inde ab hoc loco plurimæ extant notæ marginales ad ea quæ in textu narrantur spectantes. Quas nihil attinet lectoribus proponere.*

Et certe incipiens volui incœpisse tot ante 5
Sæcula, ut hoc esset tempore Isotta vetus.
Nanque quid Andromachen recitat, quid vulgus Aracnem
Penelopenque? Deas quid mea Musa canit?
Sunt hominum miracla quidem, stupor hæc erit una
Omnibus, hæc priscas vincat in orbe deas. 10
Hæc erit ante alias, quam demirabitur omnis
Scriptor, et antiquas mittet avarus honos.
Quid Thomirin iactant? Quid Penthesilea refertur?
Hæc superat Kammam Virginiasque duas.
Martia cedat ei, cedat soror inclyta Coclis 15
Atque Orythiæ cedat ubique decus
Et Coriolani mater Lucretiaque ipsa;
Matre erit hæc Flacci Sulpiciaque prior.
Claudia Vestalis concedat virgo sorori,
Qua stetit attoniti vindice patris honos. 20
Qua præstet vel prisca tuæ Cornelia laudi
Aut casto excedens Porcia corde suas?
Illa viro, illa suis, soli sed Isotta dicata est
Una deo et claræ posteritatis opi.
Illa hominum metuit vitiato corpore famam, 25
Hæc tantum summi iussa secuta dei.
Scire aliquid voluit sibi quæque antiqua; sed ista
Omnia, ut ætatis esset origo novæ.
Quis mihi crediderit? Sed res est vera tot una
Testibus, est foliis quot nemus omne virens. 30

(7) Aragnē *V*. (9) miracula *V*. stupore *V*. (11) vincet? admirabitur *V*. (14) Virginiamque *V*. (21) laude *CV*. (22) Portia *C*.

Nam nec Isotta meis parcebat docta poetis
   Rhetoribus nec erat facta diserta minus.
Naturæ et morum leges arcanaque novit
   Singula quidque deus iusserit atque velit.
35 Hæc alii potuere viri vix singula cuncti,
   Sed quisque officiis deditus ingenii.
At mulier nunquam potuit nisi Isotta ; sorore
   Qua potes æterna vivere lætitia.
Nanque velut terras fuerat tibi mater in omnes,
40 Sic tibi sydereas sollicitabit opes.
Cuius ego ut vitam moresque hoc carmine sanctos
   Descripsi, es titulus carminis ipse mei.
Nomen Isottæum tu vero functus amore
   Non poteris relegens non meminisse Mari.
45 Te verum Verona mihi patefecit amicum,
   Cuius in officiis spes mihi prima fuit;
Primus enim fueras, postremus et ipsa fuisti,
   Munificus semper magnificusque mihi.
Atque ego pro tanto tibi reddo hoc munere munus,
50 Ut quia tu meus es, sit liber iste tuus.

(42) **Escripsi** *V.*

IO. MARII PHILELPHI

de pudicissimæ virginis et generosæ ac præstantissimæ mulieris Veronensis moribus doctrinaque, vita et morte.

Qualis Isotta fuit mihi Nugarola canendum,
Virgo pudicitiæ Vestæ Phœboque dicata,
Da mihi materiam versu recitare sonoro,
Phœbe pater, tum diva fave mihi et ipsa Sibilla.
Vestrum opus est mulier cunctis memorabilis annis, 5
Qua nec maiorem priscive novive dederunt.
Hæc est illa quidem, proavis quæ creta superbis,
Nobilitate patrum toti notissima terræ,
Cognovit quid inanis honos, quid gloria rerum
Vana sit, et quantum poscat sibi vita decorum, 10
Ut moribundus homo post fata ad sydera vectus
Haud metuat Stygiam nullo reserante paludem.
Hæc mulier teneris nondum satis apta sub annis
Virtuti præbere manus, æterna secuta
Semper erat studiis laudum famæque per omneis 15

In titulo doctrinaque atque vita *V*. (2) Phœbeque *V*. (4) tu *V*. (10) poscit *CV*. (11) vetus *C*.

Dedita conatus, quæ quamquam cura virilis
Esse solet stabilisque animi, cui cognita vitæ
Ultima meta suæ, tamen hanc complexa puellam,
Exegit mortale decus, muliebria quæque
20 Expulit atque dedit cœli spectare nitorem
Astrorumque globos, quidquid tellusve fretumve
Tradit amatori, tandemque putare beatam
Posse hoc dumtaxat fieri cum lumine mentis,
Si contemnat ebur, gemmas si spernat avaras,
25 Aspernetur opes pompæque renunciet omni,
Desinat et vanis sese exornare pyropis
Atque libidinibus frontemque manusque nefandis
Opponatque omnes summo conamine vires
Nec patiatur eas mentem contingere sanctam,
30 At contra ingenium rebus disponat honestis
Atque animum vitæ laudi meritisque futuræ.
Artibus his studio se vovit Isotta loquendi
Et didicit, quibus est sapientia septa figuris,
Quas vicisse velit tenebras, quæ scire probetur
35 Digna sui ratione modi. Namque unicus error
Esse solet multis, ut se cognoscere ducant,
Quæ nondum tetigere manu ; sed fluctuat inter
Nos homines is inanis amor sibi deditus ipsi,
Cetera despiciunt quo vel maiora minores,
Vel meliora mali ; veluti languentibus hærent
Febre sitis cœcusque furor, graviorque voluptas
Sollicitat plerunque animos a lege rebelles

(28) omnis *V.* cunctamine *C.* (34) iecisse *V.* (40) hæ-ret *V.*

Atque pudore sacro fluctusque remittit in altos.
Munus Isotta suum sed Nugarola puella
Exuperans ætatis opus, nunc ore secuta 45
Eloquio poterat tygres componere sævas,
Nunc rebus statuisse modum, nihil usque precata
Mente deum virgo, quamquam vel digna tonante
Duceret omnifico, vel convenientia iustæ
Relligionis opi menti composta pudicæ. 50
Atque inter reliquasque preces lachrymasque beato
Pectore suffusas, genibus semel optima flexis
Hæc ait et geminas tendens ad sydera palmas
Et cœlum aspiciens oculis et corde serenum :

Parce precor culpæque patris miseræque precantis 55
Errori, si forte meus tibi displicet error,
Ignotus sed et ille mihi, primæva parentis
Inclinat nam culpa viros quibus anxia mens est
Laudis et obiectis stimulis invisa voluptas.
Corde pio te, virgo, precor, miserare vocantem 60
Nomen ubique tuum, rex Christe, es solus Iesus,
Solus ubique deus rerumque hominumque creator.
Quid facimus miseri, gentis sors ultima primæ,
Ni te, sancte pater, verboque animoque sequamur?
Hæc brevis est quæ vita viros delectat iniquos, 65
Quam metus excruciat diroque dolore subactam
Reddit avaritiæ stimulus tristisque cupido.
Nam nec in orbe quies, pelagus tranare profundum
Est ubi semper opus ratibusque hærere caducis.

(43) Aque *V.* (51) beatas *C.* (54) Et deum *V.* (55) parce pater *V.*

70 Dives is est? Nedum semper cumulare peculi
Thesauros optat, vicinam excedere pompam,
Tantalus alter inops, Phintus miserabilis alter ;
Sed cumulata timet ne corruat undique summa,
Qualis congestus lapidum decrescit acervus
75 Aut venti aut ictus bombardæ aliquando fragore.
Et quid mortales non cogunt quærere surdos
Ambitio atque auri fervor? Vorat ille propinquos
Et iugulat cum fraude bonos, ceu sævus ovile
Fert lupus in prædam; pudor omnis et omnis honestas
80 Atque fides fugit; subiere scelusque nefasque
Insidiæ atque doli; nulli sua tuta supellex
Nec domus ulla quidem, quamvis sub rupe cavata
Sit montis supremus apex, iuga proxima Cyntho.
Nam quæ non fraudes subdunt, rapit omne furoris
85 Pondus inexcussi, vis ferrea Marte cruento
Quæ comitata fremit domat indiscussa virorum
Singula et immitis pretium vehit agmine teli.
Hinc Laphythæque truces funestaque prælia surgunt,
Machina muralis transcendit vasta recessus.
90 Iamque nec in fratrem frater velit esse fidelis
Nec gener in socerum, patrem quoque filius urget.
Nullus amicorum Pyladæ seu qualis Orestes,
Seu caro Aeacides Patroclo est dictus in illis.
At mulier quæ non vanis est dedita sæclis?
95 Cui non pompa placet? Quam non delectat honorum
Gloria falsorum? Quis honor nam dicitur esse

(72) Phineus? (76) mortalis *V.* crudos *V.* (79) Fecit *V.* (88) Lapithæque?

Verus apud vulgus, quod nec ratione movetur
Nec probitate sua, sed quantum lumine cernit,
Tantum splendoris lætatur honore caduci?
Oh miseram quamcumque iuvat componere fronti 100
Cincinnos colloque nivem nitidumque monile,
Et faciem fucare novam Sydonaque veste
Præ se ferre nova corpusque effingere, quale
Nec natura dedit nec habebat honesta Diana!
Reddamus similes nos, o mea turba, sororum, 105
Quas Helicone satas cuncti dixere poetæ,
Virgineumque decus præclara modestia servet
Intactusque pudor. Rubeat tunc vultus et ore
Flamma sit in toto, cum quicquam auditur ineptum
Indignumque bona; tunc palleat ore niventi 110
Pallidior buxo fuerat quam purpura quondam,
Iudicis æterni cum contemplabitur arma,
Et metuat pœnas; Ditis meditabitur antra.
Inter utrumque animi munus nativa manebit
Forma et cultus erit gravitatis amicus et æqui. 115
Da, deus, hæc me cuncta sequi, quæ digna beatis
Sunt animis, indigna autem virtutis amore
Effugere ut pestem, sub virginitate morari
Semper ea, quæ non tantum fit corporis usu,
Sed mentis pietate, potens obsistere fraudi, 120
Quam furor indomitus tentabit dæmonis atri.
Da mihi divitias contemnere plebis, at illas
Quærere, quas pauper supera lucratur in arce.

(113) metuet *V.* V. 114 *om. V.* (119) sit *V.* (121) temptabit *V.* (123) luctatur *V.*

Da mortis meminisse tuæ, cum vulnera passus
125 Sæva es pro nobis. Nam te quo crimine quisquam
Damnarit, cui nullus erat nisi numinis ardor?
Hæc ait et plures precibus noctesque diesque
Consumpsit devota deo, quam mollibus auro
Compositis lectis et somni tristibus umbris.
130 Ac veluti ardentes sancto sub pectore flammas
Insereret, fit Isotta pii plenissima Christi
Et nihil est aliud post hæc pia verba precata
Sæpe Iovem, quam quæ monuit castissima Phœbes
Seu Vestæ lex alma nurus sanctissima cunctas,
135 Quam quæ virginibus Mariæ præcepit honestis
Incorrupta fides, meruit quæ ferre sub alvo
Progenitum virtute patris. Nec Isotta putare
Cœpit opus magnum natos peperisse parenti
Si mulier nubat, cum nulla animantia constent
140 Bruta licet fœtus quæ non tutentur alendos
Natura præbente manus. Sed subdere carnis
Pruritum miseræ sanctæ rationis habenis,
Hoc opus excellens naturæ munera supra
Censuit. Exemplum Mariæ mirabile sanctæ,
145 Quæ quamquam nupsit, sub virginitate morata
Incorrupta tamen iussu gravis acta tonantis
Aetherei peperit, miracli gratia soli,
Quæ concessa semel nullique sit inde petenda.
Haud movet hanc nec sperat eam nec habere maritum
150 Vult alium quam quem statuit natura colendum,

(133) Phœbe *V*. (135) Quamque *V*. (140) fætus *V*. (150) quemquem *CV*.

Corporibus quæ sola animos coniunxit habendos
Iure maritali, caro sit quia subdita menti,
Pareat orbis opus cœli melioris amori.
Hic amor est verus, dixit sine fine, maritus,
Quem mihi Isotta velim, qui postquam morte relatus 155
Sit super astra, meam repetat prece sæpe figuram,
Donec summa dies referat sub iudice summo
Coniugis officium secum componere cœlo.
Hoc fuit ergo prius votum mirabile casti
Corporis, ut coniunx animus suus esset et ille 160
Solus, ei corpus serviret et omnis honestas
Parceret, haud alii statuens parere marito.
Et quanquam vir magnus erat pater ipse tribusque
Fratribus una soror reliquis dilectior ipsa,
Nec meminit tamen una patris nec Isotta moveri 105
Fraternis potuit precibus, velut innuba Daphne
Radices tellure tenens. Non unus amator
Dives opum belloque ferox de sanguine prisco
Circunquaque petit minima cum dote puellam
Connubio iungi, tanta est virtutis imago 170
Atque decus formæ gravitasque modusque loquendi.
Sed nec eum voluit nec eum quem cerneret alta
Nobilitate satum, virtuti armisque dicatum,
Paceve contentum, quamvis sit pulchrior ipso
Hippolyto, cuius decrevit tollere mores. 175
Quodque magis stupeam, mediis in lusibus orbis
Deliciisque manens melioris præmia vitæ

(168) opus *C.* (175) collere *V.* (176) Quodve *V.*

Corrumpi haud potuit. Blandiri mater amicis
Vocibus hanc cœpit: Debes, mea filia, dicens,
180 Et patri et matri naturæ lege nepotes,
Commemoransque, quibus genus insignitur amicis,
Cum generos socerique petunt dominæque maritos.
Unde fit, ut patribus reddantur iura senatus
Et patriæ cives. Sed Isotta hoc inclyta matrem
185 Dimisit sermone suam: Dabo pignora, mater,
Multa tibi atque patri, nupsi nanque ipsa marito,
Quem sequar æternum, quem non mortalia possint
Fata mihi sævusque furor rapuisse tyranni.
Sint animi mea membra mei, sint pignora vitæ
190 Munera certa meæ, quotiens virtutibus utar
Ingenuis; præcepta dei quot in orbe tenebo,
Me totiens peperisse putem tot habereque natos.
Quod si mundus habet quicquam de sanguine nostro,
Cui sit opus servire, tribus fœcunda vocabor
195 Pignoribus, fratres mihi sint tres pignora tanquam.
Alter enim meritis Antonius inclytus ipsis,
Alter ob officium vitæ ingeniique decorem
Iure Leonardus cunctis memorabilis oris,
Militiæ insignis titulis auratus uterque
200 Est eques. Illustrisque pari Ludovicus honore
Est meus in primis cuncta inter sæcla futurus.
Quidquid agam, mihi natus erit carissimus ultro;
Hic neque iustitia minor est nec mente nec usu
Humanus minus est, quam si quem prisca dederunt

(195) sunt *V.* (197) decorum *V.*

Carmina, quam recitet fixis sacra fama lituris. 205
Hos ego iure sequar, veluti sua pignora mater.
Hic animus vir semper erit, mihi cetera desint.
Hæc ubi dicta semel rursusque iterumque redicta,
Denique finis erat precibus blandisque parentis
Deliciis, cum fama volat, non artibus ullis 210
Ingenii eloquiumve petant meritisque favorem
Esse minus promptam, nec Isotta hac laude movetur
Nec rapitur titulis vulgi, sed mente volutat
Assidue quod præstat opus committere famæ,
Quæ valeat veras laudes conferre beatis. 215
Hoc animo et pompa neglecta auroque micanti
Et virtute dea ducta inter numina cœli
Philosophis primum se dedidit atque parentis
Naturæ secreta manu complexa tenaci
Moribus incumbens civilis plena decoris 220
Iam cœli secreta subit præceptaque summi
Contemplata Iovis doctorum ænigmata solvit
Et reserat nodos arcanaque plurima novit.
Iamque Leontini similis Carmenteque creta
Atque parente sua maior dedit ore diserto 225
Plura viris discenda novis, queis noscere possent
Communes hominum sensus, nec disserit illa
Quæ plebs blæsa solet. Sed si quid acutius ullus
Dixerit interpres, meditatur acumine summo
Et mira cum laude refert. Iam vatibus æqua 230
Carminibus loquitur versusque putare Sibillæ

(214) perstat *V*. (226) quæ *V*. (228) blesa *C*, blessa *V*.

Incipiunt cuncti. Nam Clio huic plaudere cœpit
Atque Erato sonitum tribuit clangore tubarum.
Scripsit epistolice, quali non dixero lege
235 Scripsisse ante ipsam mulierem, si qua refertur
Sappho aut Phœnix meliorve in gente Quirini.
Hæc est illa quidem, quæ mortis Isotta virilis
Non metuens morsus vivet sine fine nec ullo
Marmore pulvereis claudetur diva sepulchris.
240 Quæ quoniam nostro fuerat mirabilis ævo,
Nondum sacra videt sibi vel surgentia templa.
Quod si prisca dies hanc aspexisset, honore
Quisque suo sequeretur eam fieretque deorum
Concilio adscripta atque inter numerata potentes
245 Cœlicolas, quales recitant cantata fuisse
Carmina Persephonem Daphnemque deasque vetustas.
Fœmina quæ visa est virgo sprevisse maritum,
Se vovisse deo? Quæ non vitiata tyranni
Est manibusve Iovis vel fortibus Herculis armis?
250 Prospice Latonam vel quod sit Agenore natam,
Arcadis immitis matrem Semelenque relatas
Ad superos, ut fama refert auctore poeta.
Quælibet illarum pedibus vix iungere dextram
Huius digna manum. Quid Isotta hæc ipsa meretur
255 Inter honoratos homines in carmine vatum?
Quæ cum virginibus poscat pro munere palmam
Atque inter vates non sit postrema disertos
Inter et historicos? Quæ novit, sydera quæ sint

(246) Daphnesque deas vetustas *V.*

Fausta viris, rigidus quid denotet ore cometes
Flammifero, cum forte ruit? Quæ signa rotentur 260
Bissenis cur bina locis, et fratre puella
Proximior terris citius volvatur in annos
Lunares, et Isotta tenet præclara et eorum
Cuncta videt, quæ sunt rebus coniuncta supernis:
Quid deus ante virum sator optimus ille creavit, 265
Quid dederit servare viris, quæ claustra ministris
Pœnarum edixit, quæ sit data gratia iustis,
Quis deus hoc genitus, quæ rebus meta, quis ordo.
Munus Isotta tenet rarum virtutis opimæ.
Quid meruit nostros inter sanctissima libros? 270
Ut cantetur ei carmen, quod terra, quod aer
Personet atque fretum, cœli super astra feratur.
At quo consilio fuit hæc? Num dicere tantum
De cœlo terrisve potest? Num ludere versu,
E manibus cuius referatur epistola doctis? 275
Nam multi dixere quid bene, gloria quorum
Concidit in dictis. Sed Isotta ut dicere cœpit,
Sic animo vocem firmare atque ora ministro.
Ieiunabat enim vixitque puella modeste,
Et graviter, maior natu prudentia pectus 280
Huius adivit ea qua tempestate fuisset
Viscere materno ventrisque recondita tecto.
Hæc vigiles horas et longæ lumina noctis
Sæpe super libris consumpsit et acta sopore
Nonnumquam dextra calamum tenuisse reperta est. 285

260) rotent (?) *V.* (281) tempestate *om.* C *in lacuna.*

At quotiens genibus latuit sanctissima flexis
Ante crucis signum? Ne quisquam hæc vana putasset
Signa levis capitis, sed turba domestica semper
Vestigat, quid agant domini, clamque acta redicunt.
290 Pauperibus semper pia, tum miserata famentes
Exaturabat eos, tum prætermisit in ipsos
Officii nihil una sui; castissima certe,
At non est aliis minus illustrata triumphis.
Nanque ubi de summo contendunt sæpe tonante
295 Doctores quos turba vocat, de legibus ipsis
Quas urbes dixere sibi, iucundius illa
Explicat ingenii divino munere clari,
Quam si cœlestis foret huius spiritus ore,
Qui reseraret ei reliquis quæ arcana fuerunt.
300 Hermoleos præsul Veronæ insignis honore
Pontificum, cuius vita est sanctissima, dicit
Multa palam, sit Isotta quibus super astra ferenda,
Præcipue ingenii vires vitæque pudicæ
Suprema cum laude modum. Ludovicus eisdem
305 Foscarinus eam titulis super æthera tollit,
Qui legit quid Isotta viro respondit, ut illam
Ipse prior scriptis cœpit tentare tabellis,
Et scripsit quæ ignota viris sunt maxima multis.
H æc autem mulier non est tunc visa nec esse
310 Qualis turba solet doctorum; dura resolvit
Singula et enodans quidquid devinxerat ille
Præstantem stupuisse virum sine fine coegit.

(291) cum *V.* (298) Quod si *V.* (307) temptare tabelli *V.*

Sed quot ei similes, quot honore et laude probatos
Cogit Isotta viros diversa in gente putare
Esse aliquid numen quod Isottæ dictet honeste 315
Multa simul, quæ multa locos respondit in omneis.
Ergo et eam patriæ fines coluere beatam
Et nemo est adeo tygris de semine cretus,
Qui non commemoret, fuerat quod Isotta per omneis
Italiæ terras laudis sibi nacta verendae. 320
At magis hæc humilis, magis est quam facta superba
Laudibus assiduis; vultum demissa serenum
In medio templi poterat dea certa videri
Componens se sæpe sibi, metita quod esset.
Atque suæ metam laudis metamque pudoris 325
Comparat, in neutro malens se extendere cultu.
Nullus inanis erat mulieri intrinsecus error
Vanaque fœmineos vitium quod gloria sensus
Occupat interdum. Nam quod dicebat habere,
Credebat sic illa quidem, dubitabat at esse 330
Forte aliter; nam qui scit plurima, nulla negarit
Posse altos sensus alieni interpretis arte
Ferre, cupit potius quod doctum præstet acumen
Cernere et aut alios docuisse aut ipsa doceri.
At quoniam natura novum nihil invenit usquam, 335
Nil doctrina; vetus quando est sententia magni
Socratis, ut discant homines gravioribus annis
Quique pedem in fovea teneant, dicebat id ipsum

(313) honores C. (318) cœtus C. (320) natta *V.* verendas C. (321) quo f. *V.* (326) mallens C. (332) alios s. *V.* (333) p. quæ *V.* (338) pedes C. d. ad ipsum C.

Semper Isotta volens augere ea præmia mentis,
340 Est quibus ante omnes summa celeberrima laude.
At postquam cara mulierem fata parente
Privavere sacram, quam toto flevit amare
Tempore dum vixit, cuius venerabile nomen
Semper honore pio, semper tulit optima votis,
345 Pignora quæ dixi fore cara, hæc ipsa tuetur
Atque fovet, fratres mira complectitur omni
Cordis ope et cunctos materno tractat amore.
Præcipue Ludovicus ei gratissimus esse
Incipit, hoc maior nanque est Antonius annis
350 Atque Leonardum Vincentia prisca recepit,
Coniugis ut tutetur opes cumuletque nomisma.
At Ludovicus erat nondum sub coniuge pulcher,
Ingenio facili, divæ virtutis alumnus,
Fratribus his non arte minor, non corporis usu,
355 Miles in arma ferox, lusit qui hastilibus inter
Tot species hominum, tam sæpe hac laude triumphans
Redderet ut cunctos stupefactos. Huius amore
Flagrabat magis illa, velut voluisse Diana
Dicitur ardentes Phœbi componere vultus,
360 Integrior fratris faciem fuit ore secuta.
Hunc igitur vel Isotta fuit complexa per omneis
Quem foveat teneatque sinu castissima sancto;
Connubio iunxit cui denique iure puellam,
Qualis erat mores imitata insignis honestos.
365 Cœperat et primis iamiam pubescere in annis,

(341) caro *C.* (346) omnis *V.* (351) numisma *V.* (355) lusitque h. *V.* (358) Flagrat *V.*

Quæ forma Venerem vincat, virtutibus illam
Pandoram, quam turba deum sibi finxerat omnis,
Cui nomen claro de morum munere Claræ.
Denique sydereos ubi linquunt lumina vultus
Est et Isotta dei iussu commissa sepulchro, 370
Hæredem sibi dixit eum, quem pignus habebat,
Cuius cura fuit nullum deiecta per ævum.
At quid ea ætate est, qua vixit in orbe, secuta?
Num choreas saltusque virum? Num fercula septem?
Num gemmas, quas vulgus avet? Num cætera plebi 375
Accumulanda novæ? Quæ si fortassis adepta
Sorte fuit patria, fratres divisit in ipsos,
Vel dedit hæredi vel templa ornavit et orbis
Pauperibusque dedit. Pro se nihil illa cupivit,
Nil ultra appetiit minimis contenta ministris. 380
Semper in ore deus fuit huius, ubique modeste
Vixit, ita in solo vel concomitata cubili,
Ut si forte foro in medio spectanda fuisset,
Vaniloquas fert fama nurus nihil esse locutas
Unquam inter sese, quamquam committere risum 385
Dicta queant. At Isotta deas imitata priores,
Gratia quas Mariæ superas evexit ad arces,
Vaniloquis nunquam fuit oblectata susurris,
Murmura contempsit, nihil iracundius usquam
Detestata, mala quam si quem pungere fama 390
Audiret, falso dicens ea ficta fuisse,
Quæ si vera forent, castas tacuisse decere;

(371) queim *V.* (376) Quod *V.* (388) sussuris *C.*

Quid de se possint aliæ dixisse putandum.
O deus! insignem mulierem laudibus et quam
395 Debeat immenso cecinisse volumine tota
Posteritas sitque una novis memoranda diebus.
Sed nec eam immunem tentator spiritus esse
Sivit, at in somnis vocat hanc velut angelus alter
Atque ait esse viros, quorum præstantia magna,
400 Divitiæ multæ, nomen par, gloria summa,
Quorum quem malit iungat sibi Isotta maritum.
Subdit et hæc: Quid inanis agis? Quid tempora frustra
Multa teris? Fies posthac canente capillo,
Mortalis moriere, decor tuus iste peribit.
405 Tu quid eris vivens iucundum stulta secuta?
Fumus is est, quem vana petis, quod virgo voceris.
Quod natura pati nequit, id temeraria tentas?
Interea et natos posuit dulcesque nepotes
Ante oculos suadetque viro se iungere digno.
410 Sed tentata manet cautes velut atque moveri
Constans mente nequit stabili, ratione iuvatur.
Haud genus hoc, inquit, me deficiente peribit,
Quod fratres auxere mei, nec mundus in una
Me recipit vires nec me feret ulla libido
415 Immemorem laudum, quas cœli quærimus arce,
Aut vitæ immemorem, quæ vera est vita putanda.
Insidias dæmon nullas mihi contrahet ater.
Rursus ut orabat temploque sedebat in alto,
Huius ad insidias hac est commota querela.

(397) temptator *V*. (398) at insomnis *CV*. alte *C*, *fort. recte*. (407) temptas *V*. (410) temptata *V*.

Visus adesse pater: Mea quid mea nata nepotes 420
Quos debes mihi, cara, negas? Sed desino natos
Quærere; quid non te, qualis sis, mente videre
Pergis et ante annos meritum tibi velle seniles?
Nonne es, qua nullus meliorem noverit annus?
Qua non orbis habet maiorem? Dicere prosa 425
Tu potes et versu, tu religiosa superni
Noscis facta Iovis, magni præcepta tonantis
Sola tenes, rerum complexa arcana; quid usus,
Quid valeant leges, quo cives vivere more,
Omnia sola tenes. Iam de te cogitat omnis 430
Italia estque tuis vox indelebilis annis.
Nec tibi dulce sonat? Nec te temeraria nosti?
Quid facis? Atque iuvat tua quid te gloria, si te
Non delectat amor laudis? Nec nubere cures.
Sume tamen vestes tantis virtutibus aptas 435
Et gemmas compone tibi; gratissima virtus
Est ea, quæ formam comitatur honore superbam.
Gloria virtutis merces te summa sequetur,
Si monitis stas, nata, meis; parere parenti
Debes, nata, tuo; debes audire monentem. 440
At cum iampridem teneram prior ipse puellam
Liquisset moriens essetque ad sydera raptus,
Præsentit subito tentantis Isotta nefandum
Fraudibus ingenium, qui quando libidine nulla
Commovit, tentat, quid inanis gloria possit. 445
Hoc est firma magis, stabilis magis illa, nec ullo

(423) meritam *C.* (426) relligiosa *V.* (436) geminas *V.*
(443) Presensit s. temptantis *V.* (445) temptat *V.* (446) Hæc *C.*

Ducitur exemplo, nisi quod ratioque deique
Constituunt mandata; patris non flectitur ullis
Blanditiisve minisve, deo servire parata,
450 Contemnens alios. Quando est magis arte maligni
Ducta canis, latrat qui semper et ardua tentat
Taurorum sibi colla ferox, hoc pergere certum est
In virtute magis cunctisque obstare periclis.
Non nescit, quid vana velit sibi gloria gentis
455 Terricolæ, cum flectit equos in retia cæcos
Et laqueis capit ante dies, ut fluctuet error
Assidue immensus nec sit pudor ullus in ore,
Ut modo Sisiphidæ multi multique Procustes
Et modo Tantalidæ surgant. At Belidas ipsa
460 Execratur eas, quæ fata dedere maritis,
Evadnenque illam. Recipit non hæc Heryphilem
Et quascumque pares cantata Semiramis auxit,
Et Iove progenitas Troiani tela furoris.
Plusque Catherinæ similes veneratur amatque
465 Lucia quas docuit, quam si quas Roma triumphans
Græcia sive tulit, quas tot coluere Sabæi.
Si qua inter cives fuerat discordia magnos,
Quorum erat et generi consanguinitate propinqua,
Semper erat pacis mulier sanctissima custos
470 Et resecans odiis quidquid dedit arma movendis
Restaurabat eis animos, iungebat amore
Perpetuo effrenes. Nam Nugarola domorum
Maxima cunctarum Veronæ, antiqua superbis

(450) quoque est *V.* (451) temptat *V.* v. 453—482 *desiderantur in V.* (458) Procrustes? (472) effrænes C.

Est proavis, quondam de nobilitate vetusta,
Et de Teutonicis primoribus inclyta multas 475
Iunxit in urbe domos circumque est maxima quæque
Facta, equites dominosque suo quæ tradidit ortu
Assiduosque refert; multas et Isotta sorores
Connubio iunctas plerisque illustribus alto
Sanguine progenitis vidit. Tánto . . . . illis 480
Esse satis duxit sibi virginitate necesse,
Hoc magis in cunctas versatur sæpe docendas
Concordesque animos reddendos sæpe virorum,
Artibus his imitata dei mandata superni.
At Lachesis canos iam cœperat atra capillos 485
Condere, quos aurum solebat obire nitescens,
Et frontem subiere duæ cunctamine rugæ,
Quo sedit Dictina loco. Iam pallor in ore
Venit honestatis cultor, cui candida quondam
Lilia culta forent nativo adiecta rubore. 490
Atropos accensa est, Meque hoc opus, inquit anhelis
Spiritibus, spectat; mihi Isotta est tradita tandem
Corpore quo potuit Phœbum Phœbenque referre.
Nascitur haud quisquam toto spectandus in orbe
A Tanai ad Libyen, vel qua sol concidit ortus, 495
Qui se non præstet post cuncta pericula nobis.
Hæc oculos pressura deæ, duo sydera tanquam
De medio raptura polo linguæque disertæ
Dispositura modum, febrem permittit euntem,
Arenti quæ pressa siti cremet ossa, medullas 500

(480) *deest* magis. (486) solvebat abire *V.*

Urat et intensis populetur pectora flammis.
Nuncia sumit iter, divæ præcordia primum
Occupat et geminis infundit iniqua soporem
Luminibus nectitque sitim gustumque famemque
505 Distrahit inque locum subiere horrorque rogusque
Immensus tremuitque gelu flagravit et æstu.
Conveniunt medici, medicos nec cura nec usus
Admittit mulieris, erant fastidia vitæ
Multa diu. Hæc placuit supremi meta doloris.
510 Nec languebat enim, quamvis languere putetur
Omnibus immitis propter nova bella caloris.
Hoc etenim optarat dudum, dimittere vitam,
Quæ fragilisque brevisque nimis, mortemque pacisci
Pro vita, quæ semper erit, qua carcere tanquam
515 Credidit occlusos animos, dum corpore constent,
Libertate sua fretos, cum carne soluti
In superos abiere lares, ubi gloria vera
Radices firmavit eas, quas nulla movebunt
Sæcula; non etenim si tellus concidet omnis,
520 Si ruinosa cadent summis de montibus antra.
Ergo quod et medici credunt promittit et omnis
Venarum pulsus, vitam desperat; ademptam
Esse videt, quamvis medicus sit Apollo, salutem.
Accepit mandata dei lætataque cœpit
525 Sic fratres moritura loqui: Quod vilis origo
Limus habet, pulvis recipit, componitur urna
Quod fuit ante caro, mens si bene vixerit, altum

V. 505 *deest in V.* (519) etiam *V.* (525) Quos *V.*

Fertur in empyreum. Vos ne curate fugacis
Dona boni et fastus orbis pompasque caduci.
Aeternum pensate decus! Ludovice, quid orbis 530
Sit, quid vita, vides; meditare, quid inclyta possunt
Regna, quid elati per summa palatia reges.
Nobilis es generis probitate et laude parentis
Et virtute tua, quem mundus honorat; at omnis
Corruet altus honos, tandem claudere sepulchro, 535
Atque domi minimæ cui tecta fuere iacebis
Marmorea. Ergo dei leges metire polique
Tecta petas, cum magnus eris gemmisque nitesces.
Inde autem orabat cunctos uno ore propinquos
Quosque videbat, ut hac quicumque in gente mane- 540
Aeternum patrem sancta cum voce precentur, [bunt,
Parcat Isottæis miseratrix cura diebus.
Discedo hinc, inquit, fratresque patresque revisam
Antiquos. Quid flere iuvat? Deponite tristes
Ah lacrymas. Non ipsa feror per tela, per hostes, 545
Nec rapior diri Phlegetontis ad ardua saxa.
Hæc, ait hic Ludovicus, erat spes tradita nobis
De te, cara soror, de te, sanctissima mater?
Quo fugis hinc? Quo te sine me, mea Isotta, recon-
Ipsa quaterdenis audis ubi multa diebus [dis? 550
Quæ plura orator Francisci ex ordine divi
Dixerat, hæc recitas nostro mirabile sæclo,
Singula ieiunans etiam totoque relanguens
Corde tenes, quæ mente semel narrata tulisti.

(529) status *C.* (541) Aetherium *V, fort. recte.* (552) cecitas *V.*

555 Tu moreris, quæ tanta potes? Te perdere possit
Natura omnipotens? Heu me, quem magna sororum
Linquis adoptatum, cuius memorabere semper
Ore, animo et votis. Tu quæ doctissima calles, [plet,
Quidquid habet cœlum, quidquid mane terraque com-
560 Quidquid in inferno fit, quidquid in æthere, possis
Discessisse fugax? Ubi te, soror inclyta, quæram?
Hæc reliqui dixere duo; sed Isotta subacta
Sævitia febris languenti voce resistit
Omnibus atque rogat, de se sibi quisque queratur,
565 Qui manet in terris extrema pericla lutosis.
Quæ postquam dixit gemitusque ad sydera mitti
Audivit fratrum vocesque hinc inde sororum
Atque domum impleri summis ululatibus omnem,
Quosque clientelae quosque emisere propinqui,
570 Ad crucis hæc signum devoto corde voluta
Hæc ait: O qui nos summo mercatus amore
Sanguine vis proprio remeare, redemptor, ad astra
Quem tulit indigne tua mors, mihi parce precanti
Et miserere mei! Tota quam mente petivi
575 Hora supervenit, qua de tellure lutosa
Eripiar corpusque suo marcescat in antro,
Iudicii donec veniens ad iura tremendi
Iuncta videre queat, quæ disiunctissima sensit.
At meus hic animus (bene si sperare licebit
580 In te, sancte pater, merui non ipsa) volabit
Ad superas, ubi semper erit mens aurea, sedes.

(563) sævitiæ *C*, sęvicie *V*. (568) ululantibus *V*.

Da deus, ut tentator atrox me linquat euntem,
Impediat nec iter nec nos corrumpere tentet.
Da deus, ut peccata mihi, quæ plurima nosti 585
— Nam sine quis vivit mortalis crimine sanctus? —
Da, deus, hæc plorare animo contritius acri
Sitque tibi hoc sacrum mea mens contrita litatum.
Suscipe me dextra, deus optime, nam tibi Isottam
Commendo, tu sume manu qui spiritus exit. 590
Hæc ubi dixit, eam fatis melioribus usam
Corpore terra capit laudis monumenta deusque
Mentem habet et miseratur eam cœloque reponit.

(583) temptator *V*. (584) temptet *V*.

Sonetto di Mario per la sopraditta.

La pompa et l'oro, et questo viver frale
Che ciercha ogni mundano in bassa vita,
Et ogni chupidigia ha vìa bandita
La chasta Isotta, qual spirto immortale.

Et era già arrivata in terra a tale
Chera a virtù sacrata et stabilita,
Simile a qual per meraviglia addita
Chi con l'ingiegno al Ciel chantando sale.

Rara si vide a noi simil Phenicie :
Qual rara e chi ben leggha et ben adopre
Non fenta Laura, o penta Beatricie.

Hoc Ioannis Marii Philelphi carmen editum est in libro supra p. 361 citato (tom. VII. part. 1, p. 23), ex quo descripsit V. Hartl. Extat etiam in codice Bibliothecæ Capituli Veronensis, in quo tamen hoc et sequens carmen ab alia manu quam qui præcedit Liber Isottæus exaratum est.

Ne chome molte un van mantel si chuopre
Ne gial millen di lei si chanta o dicie,
Ne tante son le lode quante l'opre.
Et coma sola sopre
L'altre vergine fu sinciera et francha,
Chosì salita e'n Ciel fra noi già stancha.

Del medesmo sonetto per la detta.

Isotta in chi non fu macchia o difetto
  Specchio di qualunqualtra haver vuol gloria,
  Nimica della vita transitoria
  Chorpo pudicho, inchcorruptibil petto.

Per le sue gran virtute et sancto effetto
  Havuta contra il mondo ogni vittoria,
  Lasciata a noi di se degna memoria
  Sempre fia lietan ciel, sempre in diletto.

Hoc carmen in unico extat codice Bibliothecæ Capituli Veronensis. Confer Giularium (Della letteratura Veronese al cadere del secolo XV e delle sue opera a stampa 1876 p. 18): «Qui pure il Filelfo s'occupò a celebrare le virtu religiose, morali, letterarie di Isotta Nogarola; il suo carme latino conservasi inedito ancora nella Capitolare al Cod. CCLXXI. con la scritta in calce 4 *(sic)* Non. Oct. 1468, copia dall'autografo.» In codice 721 Bi-

Ita la dove gia drizol desio,
  Dove ogni sua speranza la menava,
  Vede et fruisce il sempiterno dio.

Et qual in terra virtu sempre amava,
  Tal qui fra noi giamai sara noblio,
  Nimicha dogni iniusta iniqua et prava.
                Quel che viva adorava
Salita ove son lalme sempiterne
Vede, chontempla, mira et ben discerne.

Veronæ III[o] Nonas Octobris
1468
Marius Philelfus manu propria.

bliothecæ S. Michælis Venetiarum prope Murianum soneto supra p. 388. 389 edito «Veronæ VI Non. Oct. 1468. Marius Philelphus Manu propria» subscriptum erat.

(PHILIPPUS BERGOMENSIS)

De Angela Nugarola eruditissima.

ANGELA Nugarola Veronensis oriunda, femina apprime doctissima
5 ævo quo Pius eius nominis secundus pontifex Romanus in cathedra Petri præsidebat, et apud Veronam ortus sui civitatem insignem ceterasque Cisalpinæ Galliæ civitates et magna virtutum gloria et
10 poetica oratoriaque arte et insignis ac clarissima mulierum est habita. Hæc quippe in primis generosi viri Antoni Nugarolæ splendidissimi equitis aurati et præstantis Antoni,

Est caput CLIX. operis «De plurimis claris scelectisque mulieribus» a fratre Ia. Philippo Bergomensi a. 1497 tertio Kal. Maias Ferrariæ editi *(E)*. Angelæ vita fol. CXXXX$_a$. occupat. (13) *Post* aurati *fort. excidit* filia.

qui Arco pugnacissimo oppido imperabat coniunx fuit. Mulier sane venustissimo et eleganti corpore, quam plane formam ipsa sua celebris doctrina apud omnes clariorem reddebat, femina equidem imprimis humana, 5 facilis optimisque moribus ac pudicitiæ gloria admodum probatissima. Cuius sermo suavissimus pulcherrimis semper habundabat exemplis et auditoribus quam maxime iucundus. Divinæ litteræ magnopere hanc mulie- 10 rem delectabant, quas et persæpe versibus condebat idque in omni genere carminis, quod quidem in muliere videri poterat admirabilius. Quæ inter cetera suæ doctrinæ erudimenta Eglogas nonnullas tanto artificio 15 confecit, ut sine iniuria cum Cornificiæ suprascriptæ Romanæ doctissimæ in celestibus litteris a se scriptis conferri possent, quæ Centonas confecit, ut dictum est. Et cum nobilissima familia esset edita, etiam maxi- 20 mum usum præ se ferebat in curanda re familiari sua, quod ordine suo cuncta administraret cum optimo vivendi exemplo; prudenter etenim ac summo consilio semper omnia gerebat. Et cum in magnis divitiis 25

terea ac omnibus admodum affabilis. In qua etiam quædam incredibilis dexteritas cum omnibus vigebat ac morum singularis levitas in omni gestu. Urbana imprimis, quæ omnia
5 eam permaxime honestabant. Decorabat insuper illam quædam maiestas in vultu mirabilisque aspectus, omnino dissimilis ab illis mulieribus, quæ summam paternitatem plane demonstrant, cum salutantur, dedignantur
10 quandoque alios resalutare. Excellebat in ea inter cetera etiam præcipua bonarum litterarum disciplina, a doctissimis et eloquentissimis viris apprime egregie instituta, quam ob rem in omni genere litterarum maximam
15 de se opinionem apud omnes concitabat. Argumento sunt epistolæ eius luculentæ et cum maxima doctrina scriptæ. Cuius oratio tum modesta, tum etiam magnifica fuerat existimata. Gestus præterea et omnes cor-
20 poris sui motus numquam ab his dissentire videbantur. Mores insuper admodum pudici, qui cum quadam gravitate coniuncti essent, illam non parum ornabant. Elucescebat item

(15) opynionem *E.* (23) Elucesebat *E.*

in ea quidam coniugalis pudor atque fides. Diligentissima quoque erat omnis honoris et decoris tam mariti quam etiam sui, et id non minus quam Æmilia tertia supradicta, superioris Affricani uxor, cui non solum domi 5 mariti, sed etiam ubique maxima illi cura fuit pacis et coniugalis concordiæ amoris, ut monumentis clarissimorum ingeniorum ad nos usque manasse cernimus. Tanti igitur momenti eius auctoritatis et existimationis 10 erat habita hæc matrona insignis Genebria. In subditos enim suos summa præstabat humanitate et iccirco plurimum lætabatur, quando eorum posset extinguere discordias, si forte inter illos aliquando fuissent exortæ. Visi- 15 tabat ægrotos cum ingenti studio atque amore, quos rebus, tum etiam verbis dulciter consolabatur. Hoc et amplius in ea mirandum fuit, quia ubi ratio vel necessitas expostulabat, familiarem, humanam, facilem et piam 20 sese exhibebat. Tam erat in suos propenso studio, ut et æqualis et soror vere posset appellari, non quæ posset eis imperare. Sæpe etiam hoc verbum illi usurpabatur: Sapientes viros sapientesque feminas apud multitudi- 25

nem ab omni ambitione vacuos esse debere, econtra autem operam dare, ut iis placerent, qui vera laude digni existerent. Memor quam maxime erat benefitiorum et grata in illos, 5 qui in se aliquid contulissent vel re vel opere. Constanter iustitiam coluit et innocentiam custodivit. Fecunda liberis, præcipue maribus, quinque etenim peperit. Quorum primus Mafeus appellatus, vir præstanti quadam cor- 10 poris dignitate. Secundus Petrus, excellenti ingenio vir eximiaque virtute ac magnificentia, qui merito suarum virtutum a Pontifice Maximo Paulo eius nominis secundo eximia affectus fuit dignitate una cum fra- 15 tribus et posteris suis, cuius quidem pietas numquam posset satis pro dignitate laudari. Tertius Ioannesfranciscus, in annis satis exercitatus, validus et summi consilii vir. Quartus Nicolaus, imprimis perhumanus. Quintus 20 postremo Marsilius, prothonotarius et iuris pontificii decore ornatus. Quorum omnium virtus clarumque nomen non tantum matri ornamento fuere, sed etiam prope toti Cisal-

(2) ut is *b*.

pinæ Galliæ gloriam immortalem attulere. Hæc itaque tam clara femina, divitiis, scientia et virtutibus ac liberis tam fortunata, non tanquam Nyobes Amphyonis Thebanorum regis filia fortunæ lusa insipiens fecerat, quæ 5 superbiendo non gratias egerat, quæ quidem ex innumerabili prole divinos sibi quæsierat honores, pro quo nomen suum in multis seculis sibi fecerat exosum, sed ipsa clara Genebria de omnibus sibi concessis cum 10 gratias immortales deo egisset, ad extremum adhuc in iuvenili admodum ætate modum vitæ suæ posuit. Cuius mortem innumerabiles prope populi non secus ac si parentem collachrimarunt. Elataque fuit magnificen- 15 tissimo funere pro dignitate et splendore suorum, ut clara mulier merito requirebat.

(8) snum *E.*

(PHILIPPUS BERGOMENSIS)

De Isotha virgine Nugarola Veronense erudita.

ISOTA virgo Nugarola prædictæ Genebriæ soror, femina imprimis doctissima, anno a natali Christiano millesimo quadringentesimo sexagesimo sexto apud Veronam urbem suam, cum in celibatu totam egisset vitam, extincta est. Hæc quippe amore virginitatis ducta a matrimonio coniugali prorsus aliena esse voluit, etsi indesinenter a plerisque magnis viris ad matrimonium solicitata fuisset. Sed neque ab ullis suis propinquis aut affinibus vel amicis ea ab hoc suo laudabili proposito

Est caput CLXIII. operis «De plurimis claris scelectisque mulieribus», in quo fol. CLI. occupat.
(14) eam *E.*

unquam potuit amoveri, et ut omnem nuptiarum molestiam et otium (quo nihil perniciosius mihi videtur) a se posset arceri, ad studia litterarum se omnibus modis contulit. In quibus certe tantum excelluit, ut in ea plane revixisse videretur prisca illa virginum antiquitas et dignitas, quas illustres sempiterno præconio decoraverat vetustas et iccirco omnes sui temporis mulieres in vario litterarum genere anteire dicebatur. Eius enim ingenium suamque doctrinam ac splendorem intacti corporis sui, nec non et abstinentiam, frugalitatem, orationes ceterasque eius virtutes omnes venerabantur. Celebrata erat maxime gravis, ut et doctrina cum veteribus mulieribus eruditis merito posset comparari. Quod confirmant eius luculentissimæ orationes, quas maximis pontificibus Romanis aliquot destinaverat, Nicolao videlicet quinto et Pio secundo, præcipueque in eo conventu quem Mantuæ egisse eum constat. Suadebat namque et hortabatur validissimis argumentis et probationibus non sine maxima exemplorum copia cum Pontificem tum Reverendissimos sanctæ ecclesiæ Cardinales

et Christianorum principes adversus Turcum,
qui Christianum nomen et Christianam reli-
gionem conabatur evertere. Quæ quidem
oratio tantam præ se ferebat doctrinam tan-
tumque nitorem et eloquentiam, quantum
quis certe verbis explicare posset. Cui feminæ
propter eam doctrinam et optimum dicendi
modum non posset dici quantum laudis
quantumque ornamentum eidem accesserit.
Nicenus etenim Cardinalis, Græcus utraque
lingua excellens et qui in divinis doctrinis
maximum etiam usum habebat, ea oratione
audita statim quadam admiratione permotus
ut coram agnosceret, quam admirabilem ex
ratione dicendi cognoverat, Veronam con-
tendere voluit; vix quippe credibile vide-
batur suorum temporum feminam ullam inve-
niri quæ tanta eruditione tantaque eloquentia
præstaret. Qua visa et audita celeste potius
quam humanum factum iudicavit, unde eam
in ipsis virtutibus et ipsas in se ad magnam
dei laudem suique ædificationem admiratus
est. Hæc plane non solum studia humanitatis
sed et philosophyam attigit nec etiam theo-
logiæ sacræ ignara fuit. Confecit inter cetera

Altercationem quandam id est dyalogum cum urbis suæ præfecto Aluisio Foscaro patritio Veneto, viro egregie litteris culto, quo quærebat, utrum Adam prothoplastus noster plus peccaverit quam Eva mandatum domini transgrediendo. In quo quidem ipsa Evam, ille Adam tuetur. Quod peregregium sane opus pluribus admodum placet, quod maxime cum quadam nova theologia cultum et eloquentiam in eo iunxerit. In veteri novoque testamento admodum fuit exercitatissima, unde et biblyam ferme totam eam didicisse constat. Operum præterea quattuor doctorum atque aliorum æque studiosa. Nihil ferme ab ea dicebatur, quod patris Augustini testimonio non statim comprobaretur. Divum etiam Hieronymum semper in manibus tenebat vel propter eloquentiam suam quæ eam delectabat, vel quod plura quam ceteri doctores ad sanctas scriberet virgines. Non posset equidem enarrari quam absolutæ quamque consummatæ doctrinæ fuisset hæc Isotha virgo, peregregia mulier. Præstabat quoque

(2) *lege* Foscareno. (17) in manus *E.* (21) ennarari *E.* absolute *E.* (22) consumate *E.*

inenarrabili corporis dignitate, optimis moribus prædita. Habitus autem eius corporis semper quasi ad viduæ cultum accedebat, quem in tota vita custodivit et gestavit. Nata igitur
5 octo et triginta annos summa mansuetudine summaque gratia in omni parte vitæ claruit et non tantum his quibus erat coram nota, sed etiam illis quibus nunquam fuisset visa tantum valuit tantumque potuit fama et no-
10 men optimarum virtutum in hac virgine. Atque tandem hunc consummatissimæ vitæ finem nacta est Isotha virgo eruditissima omni prope laude etiam cumulatissima.

(1) innenarabili *E.* (5) *legendum esse videtur* octo et quadraginta. (11) consumatissime *E.*

De eadem Isota hæc Philippus Bergomensis in Supplemento Supplementi Chronicarum (Venetiis a. 1506, fol. 398) protulit.

ISOTA Nogarola patria Veronensis 5
virgo et fœmina imprimis doctissima et ipsa propter doctrinæ excellentiam priscam illam virginum dignitatem excitasse videre visa est, quod omnes huius temporis nedum mulieres sed et plærosque 10
viros in vario dicendi genere anteire dictum sit. Quod confirmant eius luculentissimæ orationes, quas maximis pontificibus Romanis aliquot destinavit præcipueque Pio Pontifici, dum Mantuæ conventum habuit. Quæ 15
quidem oratio tantam præ se ferebat doctrinam et nitorem ac eloquentiam, quantam quis verbis explicare posset. Nicenus enim Cardinalis utraque lingua excellentissimus

dixit vix credere potuisse ullam suo in tempore inveniri posse fœminam, quæ tanta eruditione et eloquentia præstaret. Hæc itaque cum non solum humanitatis studia, sed
5 et theologiam atque philosophiam attigisset disciplinas, inter cætera quandam altercationem, id est dyalogum composuit cum quodam urbis præfecto, quo quærebat, utrum Adam plus peccaverit quam Eva mandatum domini
10 transgrediendo. Quod peregregium sane opus admodum plurimis placuit. Scripsit et alias nonnullas orationes et epistolas doctas atque elegantissimas, a multis approbatas et laudatas. Alia etiam quædam opuscula edidit,
15 ut ex libro nostro de clarissimis mulieribus videre quisque potest.

(7) id est] ideæ *E.*

Oratio funebris pro clarissima domina Elizabetha de Nogarolis uxore clarissimi equestris ordinis viri domini Iacobi de Thienis edita ab Omnibono Leonicensi.

MAXIME vellem, clarissime prætor insignisque præfecte, præstantissimi viri optimique cives, ut et mihi dicere et vobis audire vacaret, quantae sit amplitudinis, quantæ claritatis, quantæ præstantiæ funus, quod hodierna die prosecuti sumus. Ostenderem profecto vobis, si modo tantis mihi laudibus par oratio inveniri possit, hac matrona primaria nec præstantiorem aut generosiorem alteram facile inveniri posse, seu

Hæc Omniboni Leonicensis oratio in solo codice Vindobonensi (meo *C*) nr. 3330 chart. fol. sæc. XV (fol. 83*a*—85*b*) extare videtur.

(2) uxor C. (3) Thiems *hic et infra C, corr. Sabbadini in litteris ad me datis.* (8) et *om.* C. (12) or. mihi inveniri C. (14) invenire C.

maiorum suorum imagines inspicias seu vitæ suæ rationes, non quod in tanto mærore laudationibus istis tempus indigere censeam, sed ut spectatissimo equestris ordinis viro
5 domino Iacobo de Thienis ac generoso huic cætui filiorum tantæque turbæ cognatorum et affinium, toti denique civitati, quæ in tanta calamitate mæsta et lugubris conspicitur, his primum omnibus ignoscendum esse mon-
10 strarem, si se a lacrimis temperare non possunt, cum tantæ probitatis tantæque excellentiæ feminam amiserint, deinde consolationis hanc potissimum ineundam esse rationem, quod vitam illius tam bene institutam spec-
15 tantes desiderium sui afferre non possunt. Facile enim cuivis appareat, quam tantopere coluimus et observavimus, ut eius absentiam non modo proximi doleant quam nos omnes in ea virtutum omnium insignia con-
20 stitisse cernentes. Nulla enim res alia vim tantam habere posset, quæ nos sine discrimine omnes ad amandum et propterea commiserandum alliceret, nisi virtus egregia, qua

(9) omnium? cognoscendum C. (13) hanc] hinc (huic?) C. (23) virtutis C.

inprimis prædita hæc insignis femina fuit. Non est igitur magis dolendum, quod iocundissima eius consuetudine careamus, quam gaudendum, quod virtutis suæ fructus uberrimos hodierna die susceperit. Nunc autem 5 generosæ huiusmodi claritatem si minus hac mea tumultuaria oratione tam brevibus spatiis circumseptus pro dignitate prosequi possim, facile patiemini, clarissimi viri, neque enim nunc requirendum esse arbitror et genus et 10 proavos et fortia facta suorum, quæ quanto clariora sunt tanto nobis notiora esse debent. Quis enim nesciat, Nogarola domus, cuius edita est stirpe, quam potens avis atavisque fuerit, nec magis ubi nupta fuit Thienia fami- 15 lia desiderat, ut sua commemorem decora alta parentum, cuius decus et columen extat mæstissimus coniunx, clarissimus equestris ordinis vir dominus Iacobus, quem si posset hæc civitas immortalem fieri vellet. Absint igi- 20 tur ab oratione funebri per tanta ista poetarum virtutesque virum series et tanta nepotum per tot ducta viros antiquæ ab ori-

(11) quanta C. (15) Thiema C. (17) exta C.

gine gentis, nec quærat hic noster luctus, quam crasso laqueario fulva metallo montibus aut alta Grais effulta intestant atria congestos satis explicatura clientes, nec
5 occupati sumus enumerare divitiis præpotentes domos quas possint mero committere gemmas aut aurum molare cibis. Quæ bona fortunæ quantæ fuerint et sint in utraque familia, ipsi melius percipere quam ego ex-
10 plicare possum. Hæc tamen commemorasse ad id nobis conferat, ut documento sit omnibus hodierna dies non extrinsecus pendere, sed in nobis sitas esse oportere bene vivendi rationes; his enim quæ modo dixi nemo me-
15 lior, nemo sanctior efficitur nec ea possunt hanc nobis vitam prætendere, cuius dulcedine deliciis affluentes nimium plerumque capi solemus. Nec enim quæ bona appellamus bona sunt, sed animi nostri ludibria quædam.
20 Nam si nos tantisper dum vivimus illecebris suis raro demulceant, morientes cum convicio deserunt. Nihil horum igitur suum esse recte quis dixerit quod non perpetuo possi-

(2) liquesrio C. *Ceterum totus locus corruptus est.* (7) geminas C. (19) ludibriora C.

deat. Quod autem nostrum est quodque verum dicimus, si quid æqui et boni operati sumus, id semper nobiscum manet, semper quocunque ierimus iter nostrum prosequitur. Quod cum probe intelligeret prudentissima femina, vitam suam bene ac sapienter instituere curavit effecitque, ut intelligi posset non admirandas esse opes atque divitias, quas qui possidet vitiosior efficitur, admirandos autem et omni laude prosequendos esse qui eiusmodi rebus modeste uterentur. Quare superioribus omissis ad ea quisque acriter incendamus animum, qui mores fuerint, quæ disciplina vitæ, ut clarissimis duabus propositis familiis videamus, quantum per angustias temporis licet, quale virtutis exemplum illinc quidem exortum fuerit, hic vero per maiorem vitæ suæ ætatem viguerit, nam a suavissimis suis moribus incipiam. Humanitate tanta fuit, quantam vultus et oris dignitas, quantam totius corporis aptitudo pollicebatur. Nulla tam abiecta domus, nulla tam humilis familia fuit, quam non illa opibus suis

(5) intelligitur C. (8) acque C. (13) intendamus ?
(20) quanta C.

iuverit et ubi opus fuerit exornaverit. Commemorare possem civitatis huius complures infimi et obscuri loci mulieres, quas mansuetissima mulier tanta benivolentia et caritate
5 complectebatur, ut eas quidem nec comites dedignaretur, qua in re magis emicuit claritudo sua. Nihil enim in urbe nostra fuit illustrius, quam dominæ Elisabethæ comitas et humanitas, quibus si alienos tantum sibi devinxerit,
10 quid domesticos dixerim? Non possum, optimi, non longius progredi, cum plangores et eiulatus servorum et ancillarum reminiscor, quibus paulo ante atria conplebantur. Testes sunt gravissimæ clementiæ et mansuetudinis
15 dominæ suæ, quam miseri illi quidem non veluti dominam, sed quasi parentem flebant et proclamantes appellabant. Erat enim spectatissima mulier et suavis et iocunda omnibus et eam non magis verebantur quam amabant.
20 Quod quidem probatissima quæque matrona, qualis ipsa fuit, magnopere elaborare debet. Ita enim res familiaris suo ordine procedit, in qua servi et ancillæ non solum vi sed

(1. 2) commemorari C. (3) quasi C.

amore paruerint, quod illa minorum maxima dexteritate comparaverat. Non enim magis imperando quam agendo sua quemque ad opera concitabat et si quid expediendum erat, manus operi prima inserebat nec matris familias potius quam ancillæ officium gerere videbatur. Et recte quidem. Neque enim aliter ad res gerendas famulos matrona inflammare debet, quam strenuus imperator exercitum. Hinc, inquam, lacrimæ, hinc gemitus, suspiria, planctus, quod tanto bono tam brevi frui licuerit. Est quidem quod doleas, vir carissime, quod lugeatis omnes, iuvenes egregii, quod tantum amiseritis bonum, est vero quod consolemini non minus, cum in mentem venit illam peracto laborum suorum cursu ad suum creatorem rediise. Hæc enim sua virtus, si nobis ornamento erat atque usui, illa tamen suas actiones omnes ad unum finem tetendit, ut suo tandem creatori ac redemptori placeret, quod ita esse multis ex rebus percipere possumus. Quales

(1) paraverint C. minorum] omnium ? (2) deteritate C. (3) quamquam ad C. (4) erit C. (9) strennuus C. (17) creatorem] laborem C.

enim illius in pauperes Christi misericordia ac liberalitas fuit, quæ cum ex his quæ publice mendicantur nemini deesset, multo tamen plures occulto sustentabat? Id enim 5 prudentissime ut cetera faciebat egregia mulier; noverat enim Ihesu Christo domino nostro acceptissimam esse elemosinam, si archana et soli deo cognita fuisset. Verum quod in vita latuit, in morte necessario pa- 10 tuit. Piget reminisci, quos planctus, quæ lamenta modo iam per urbem exaudita sint. Undique personabant populi voces omnipotentis dei implorantis fidem. Væ miseris, quibus parentem optimam hæc atra dies tam 15 subito eripuit. Qua ex re facile declaratur, quam misericors, quam benigna hæc fuerit, nec alia quidem potuit esse, quæ religioni deditissima fuit, ex quo potissimum tempore frater Silvester Christianæ fidei clarissimus 20 athleta Vincentino populo præcepta divina mirifice tradidit, quibus et illa frequens interfuit et se toto pectore devovit. Ita id esse ex operibus suis facile dignosci potest, quanquam

(9. 10) necessaria patuisset C. (13) Væ] vel C.

non in apertum illa, sed occulte omnia. Verum modicis sæpe ex rebus magna deprehendas. Quam enim orare videbas, quam ieiunare, quam continentem esse, hanc existimare potes alias rigiditates corporis meditari. Cuius 5 rei testimonium vel maximum fuit magna quidem facere illam, maiora autem animo concepisse, quoniam in extrema vitæ suæ hora accurate viro et natis hanc ultimam ab eis gratiam contendit summopere impetrare, 10 quamquam id quidem, ut est ingenium viri, facile obtinuit, ut si diem suam obiret, nullo amictu corpus sepulcro condendum circumdaretur ritu fratrum tertii ordinis, quem beatissimus et gloriosus Franciscus instituit. Quod 15 si superesset, per omne suæ vitæ tempus sub eodem amictu eiusdem ordinis regulam observare promittebant. Qua ex re percipere possis beatissimum patrem Franciscum devotos sibi homines numquam deserere. Hanc 20 enim illius supremam voluntatem eiusmodi esse dixerim, ut glorioso suffragante Francisco ad cælestia gaudia sine ulla interpella-

(1) non *om.* C. (14) quem] quod C.

tione evolaverit. Id enim et viros et natos tanta animi vivacitate rogavit, ut quæ supremum fati punctum sustineret, in hac postulatione sua revivisci videretur. Sed me lon-
5 gius iam producit virtutum suarum innumerabilis accessio, quare iam finis esto, si hoc unum admonuero, non esse flendum; namque ita comparaverat, ut non mortis sed immortalitatis participem sine ulla dubitatione
10 factam esse credamus. Nam si mæremus, quod talem repente amisimus, id etiam meminisse debemus, nihil sane diuturnum nobis videri posse quin aliquando finem sit habiturum. Quanquam enim aliquot superstes
15 fuisset annos, ei tamen haud multo post moriundum fuit. Et ut iam vobiscum loquar, vir clarissime spectatissimique iuvenes, nolite flere, quam cælestis regni municipem esse intelligimus, ne sibi potius invidere quam ti-
20 mere videamini, nec tam mortem istius flere quam incommoda vestra dolere. Pulcrum est

(3) substineret C. (4) reminisci C. (7. 8) namque] sedque C. (12) sane] enim C. (13) quod aliqu. C. (14) aliquod C. (16) nobiscum C. (18) municipum C. (21) incomoda C.

enim forti viro, qualem te esse cognovimus, vir præstantissime, et vos decet esse, iuvenes egregii, humanos casus virtute inferiores ducere, quod si feceritis, lætabitur anima illius, cum viderit vos nolle divinæ voluntati 5 obviam ire, exhilarabitur tantorum virorum conspectus, non mediocriter recreabitur tota civitas, quæ vestro mærore dolet, cum omnes existiment hanc sibi calamitatem communem esse. Nam vobis, magnifice præ- 10 tor insignisque præfecte, præstantissimi viri optimique cives, qui hanc pompam funeris tam pie, tam miserabiliter prosecuti estis, cum supra memoratorum virorum nomine pro hac in eos promptissima voluntate vestra 15 gratias ingentes agam, maiores autem semper habituros esse polliceor, satis tamen exploratum mihi est, gratias vobis nec cariores nec præstantiores aut agi aut referri posse quam si eos senseritis a luctu et squalore desistere. 20 Dixi.

(17) polliccar? (21) Dixi finis huius C.

P. Donatus Advocarius Iuliæ Nogarolæ
S. P. D.

ACCUSABIS me forte atque reprehendes, quod ego indignus augustam
5 Moysi cathedram sæpius conscendere ausim. Nec immerito quidem. Quis
enim ego sum? Homo scilicet ignavus, sæcularis atque peccator, qui divites dei et
domini sensus explicare velim. Scriptura enim
10 divina (ut scis) omnium sensuum tramitem solum habet, quem humano sermone decurrere
quis audebit, etiam si quis volaverit ut columba, nisi angelicas pennas mortalium linguis spiritus adhibuerit? Magna enim res,
15 immo maximi et ingentis conatus et, ut verum

«P. Donati Advocarii in Domini Coronæ Spineæ Agone ad Iuliam Nogarolam» extat in unico codice Bibliothecæ civitatis Brixiæ sæc. XVI.

fatear, temeritatis est sensum domini peccatorem quempiam tentare velle. Dictum enim peccatori est: Ne audeas domini iustitias per os tuum narrare. Quodsi contra interdictum me sæpius præsumere vides, parcendum erit, neque enim ego, qui harum rerum cupidus sum, tametsi operarius inutilis, indignus, tacere non possum. Quare si hanc meam temeritatem accusabis, studium hoc meum saltem excusare in hoc sermone velis, quem de corona domini spinea magna animi voluptate in isto quadragesimali ieiunio excogitavimus. Consyderavi nanque, ut quum tanto huius coronæ beneficio obligati simus, quo per eum cui imposita fuit ex servis liberi sumus, indignum fore mihi videbatur nullum de ea re proprium sermonem quem vel legerim vel audiverim habitum unquam fuisse. Iam etsi quædam, perpauca tamen, varie legantur, temerarium tamen mihi videbatur me viam illam ingredi velle, quam neminem ex patribus sanctissimis et sapientissimis viris, cuius vestigiis insistere possem, ingressum fuisse cognoscebam. Sed pudorem hunc meum simulque temeritatem vicit charitas,

quæ me tantæ rei amore ac devotione accensum ad scribendum impulit, simulque eadem fecit, ut sermonem hunc ipsum, quem audaci potius animo quam aliquo officio aggressus
5 sum, ad te, quam divinæ lectionis convivium diligere et spiritalibus saciari dapibus scimus, mitterem. Tuum tamen erit, ut quæ de peccatoris manu nescio quo pacto excidere, per te solam legas eaque apud te contineas, ne
10 in vulgus exeant, quia si ego minus verecundus per memetipsum esse volui, tua tamen modestia atque prudentia huic meæ temeritati parcere debebit et continere apud te. Quod facere non potui; omnes enim (ut scis) hæc
15 studia non capiunt, quæ stulta apud sapientes huius sæculi reputantur, quamquam huius sæculi stultitia vocatorum sapientia est, qui cogitant semper in corde quæ dei sunt, ipsum semper in ore habent, quoniam verbum
20 dei est, ipsum esuriunt, quoniam panis angelorum est, ipsum sitiunt, quoniam calix novi testamenti est, illum lingua confitentur, quia illis linguas novas per spiritum suum dedit, qui tametsi in sæculo sunt, sermonem tamen de
25 sæculo non habent.

VALE.

MAI.[Æ] ISOTTÆ

AD ANDREAM CONTRARIUM VENETUM EPISTOLÆ.

I.

Mai.[a] Isotta Andreæ Veneto Sal. pl. dicit. 5

O MEUM solamen! O unicum vitæ meæ præsidium! Testor deos deasque omnes, quonam hodierno die fuerim animi angore et molestia! Sane nihil prorsus de me, anime mi, te latere fas 10 est. Me miseram! Perii, ubi ex verbis tuis animadverti et didici te vehementer amare nescio quam Romæ illustrem et præclaram.

Hæc epistolæ extant in codice Bibliothecæ publicæ urbis Senarum D. VI. 1 inf. signato sæc. XVII. (meo *S*). Epistolam I. II. IV. V. etiam ex apographo in Emanuelis Cicognæ usum minus accurate confecto *(C)* novimus.

In titulo huius epistolæ et earum quæ infra sequuntur *Maia Isotta* est in utroque apographo, sed *Mai.[a] Isotta* in codice scriptum esse testatur Hippolytus Bevilacqua in libro qui «Osservazioni sopra la Verona Illustrata» inscribitur et ineditus in bibliotheca urbis Veronæ asservatur. (13) atque C.

Equidem quantum ratione et coniectura assequi possum, arbitror hanc profecto non indignam esse eximio amore et existimatione tua, cum eius divino, ut aiunt, pæne ingenio,
5 tum prudentia et usu rerum plurimarum. Verum tu, quum proxime vix mihi ostenderis eius quamdam ad te epistolam sane diserte et, ut suspicor, amatorie scriptam, nequaquam es passus, ut eam legere possem.
10 Quod quidem abs te factum existimo, ne ego utriusque vestrum facta ac simul dicta cognoscerem, sive fortassis, ne perspicere possem vel tarditatem ingenii mei sive inscitiam atque inertiam litterarum mearum. Neque me
15 præterit minus fieri posse, huiusmodi hominem uti tu es, amicam præsertim sui similem provocatam suavitate ingenii tui, probitate, virtute, innocentia mirifice non diligere et amare. Quippe, ut quod sentio libere dicam,
20 non nisi præclaram, ingenuam ac generosam fœminam esse dixerim, quæ quidem, ut

(3) æstimatione? (6) quem C. (12) prospicere C. (15) huismodi *S.* (16) unicam *S.* (17) pervocatam C. (18) et *in codice deesse annotatum est in C, habet S.* (19) sentii C. (21) feminam C.

æquum est, mirum in modum respondere videtur amori tuo. Quocirca, suavissime Andrea, oro et hortor, velis pro tua humanitate parumper animadvertere, quo redacta sum misera, qua spe decidi, quum iampridem, ut 5 probe nosti, ad te unum animum adiecerim, postquam me totam tibi uni amorique tuo unico tradidi. Non possum, crede mihi, hæc sine lacrimis multis ad te scribere. Quare si forte, quod videor videre, tu pluris facis il- 10 lam, scilicet amorem et delitias generis humani, quam me, te oro et obsecro, si bene quid de te merui, ne continuo maximo cum cruciatu sim inter spem et metum neve sim animo dubio et perplexo, significa paucis, 15 si placet et si bene vis mihi, quando præsertim tolerabilius esse reor semel cadere quam semper pendere. Neque enim ipsa eius generis sum, ut studeam amori vestro tam pudico, tam præclaro, tam insigni tamque egre- 20 gio ullo pacto esse impedimento, eoque magis, quod, ut accepi ex multis, constat haud dubie hanc esse in ea regia urbe or-

(5) quom id pridem C. (8) hoc C. (9) lacrymis S. (13) maxime C. (14) ac m. C. (16) bene *om.* C. et si b. v. m. *om.* S.

tam familia consulari, dehinc, ut aiunt, summo atque amplissimo genere natam. Omitto atque prætereo venustatem, formam, dignitatem, eius incredibilem sapientiam, eruditionem,
5 integritatem, morum elegantiam, urbanitatem, modestiam, suavitatem, acumen, eloquentiam, animi magnitudinem. Quae omnia haud dubie longe a me abesse intelligo et sentio. Quid quod fieri posse non arbi-
10 tror, ut ipse utramque vere atque ex corde diligas. Hoc propterea scribo, quia cum primum a me discesseris atque magnis itineribus in urbem contenderis, quod omen deus avertat, illico facere nequiveris, quin si quid
15 est residui amoris tui erga me omnem cumulate in eam unam omnium pulcherrimam atque præstantissimam conferas. Dii facerent, ut tu posses oculis intueri, quibus lamentis, quo dolore, quo gemitu ego ipsa
20 omnium miserrima quam vehementissimo animi angore confecta has litteras nunc ad te scribo. Sane neque coram possum dicere neque tibi narrare audeo epistola, opprimor

(9) et sentio *in codicis margine additum esse annotatum est in C, om. S.* (11) qui C. (13) omne C.

enim ingenti dolore atque acerbissimo luctu. Fatebor ingenue: Nemini unquam alteri amorem meum præter quam tibi uni impartiar, dum memor ipsa mei, dum spiritus hos reget artus, si volueris, ut iure meritoque velle 5 debebis. Quamobrem te etiam atque etiam oro, ne graviter molesteque feras, si ego indignabunda tecum per litteras quodammodo acrius questa sum, præsertim quando hæc et huiusmodi querelæ non proficiscuntur nisi 10 ab illustri quodam amore atque mea incredibili in te benevolentia. Neque enim, ut mihi persuadeo, te fugit, hoc commune amantium vitium esse, ut omnia semper sollicitudinis, timoris, suspicionis, postremo livoris atque 15 invidiæ essent plenissima. Quid dicam, quod, quum amor cæcus sit, necesse est, more suo ut anceps dubiusque huc atque illuc brevi momento impellatur? Neque fieri potest, ut arte ulla rationi cohæreat, quin potius cuncta 20 eius facta dictave ad vim quandam spectare videntur. Hi enim qui acriter hac nova peste, cui quidem virtute resisti non potest, labora-

(2) Memini *C.* (4) cum memor *S.* (14) solic. *S.* (16) esse *S.* (17) quom *C.* (22) Hii *C.*

runt, nimio furore et impetu veluti catenis
ferreis quibusdam ac vinculis quodammodo
in servilem modum inviti detineri coguntur.
Ego enim fortunatissimum beatissimumque
5 dixerim, cui in potestatem Cupidinis ditionemque venire contingit, quando præsertim
hunc Veneris Iovisque filium non modo potentissimum deorum omnium, sed etiam victorem fuisse accepimus, et, ut nonnihil in
10 præsentia poeticis fabulis largiamur, quoniam
dii omnes et singuli contagione, ut sic dixerim, quadam vehementer amarunt, cuncti et
ipse inprimis Iupiter optimus maximus hominum rerumque repertor ante currum pueri
15 triumphantis captivus atque subiectus Cupidini ducitur catenatus. Verum enim vero,
quoniam sæpenumero lectum est amorem
plus aloes quam mellis habere, quid, oro per
deos, tam miserum, tam laboriosum, tam aspe-
20 rum, tam acerbum, denique, ut sic dixerim, tam exitiosum, quam mollia prata ac gelidos fontes oculis intueri? Loquor de iis,

(1) cathenis C. (2) et C. (3) detinere C. (5) disserim S. (10) quum S, quem C. (15) utq. *habere dicitur codex in C.* (19. 20) asprum C.

qui præsertim florent iuvenili ætate, quibus lege edictove cautum est cum maxima eorum pernicie, ne aquam e vivo gurgite saltem libare possint aut in amœnissimis hortulis sub molli cœlo ac pulcherrima plaga inter 5 vernantes flores, inter candentia lilia seu rubentes rosas arborum poma inter frondes ramosque gratissima visu frustra appetere. Quippe, ut nunc de me quam parcissime dicam, sum tanquam miserrima avicula, quæ 10 quidem ergastulo traditur, cui etsi cœlum ac aera intueri liceat, attamen ex angusto carcere neque evolare neque effugere potest. Quamobrem, ne longius progrediar, si labores, si curas, si vigilias, si ærumnas, si de- 15 nique mortis discrimina pæne innumerabilia nosceres mea, quum sis profecto pro tua lenitate et mansuetudine animi non trux, sed ingenio mitis, me consolando et prope æque dolendo, esses simul et socius et particeps 20 omnium incommodorum meorum. Quæ quidem, ita me dii ament, nisi tibi homini doc-

(4) liberare *in cod. est secundum* C. (4) cunvenissimis C. (6) cadentia C. (9) paucissima C. (11) truditur S. (17) quom C. (20) sotius C.

tissimo et elegantissimo omnique officio et virtute ornatissimo ob dignitatem, magnitudinem præstantiamque animi tui, ita strenue, ita generose, ita regie, ita magnifice essem
5 affecta, numquam tanto studio ipsa possem sufferre et perpeti. Equidem, mi Andrea, quamquam sum abs te, ut vides, corpore seiuncta, te tamen, deum testor, mente et animo quotidie, immo horis singulis, et au-
10 dio et video. Neque enim noctu oculi mei præ nimia cura et cogitatione somnum capere possunt. Itidem arbitror tibi, anime mi, evenire. Illud igitur mihi miseræ solum restat solatium, hoc est, aut tecum, mi Andrea,
15 loqui per litteras aut te præsentem nonnunquam et videre et alloqui. Vale memor mei. Ex Suburbano, Idus Febr.

(14) aut *om.* C.

II.

Mai.[a] Isotta Andreæ Contrario Sal.

NON parvo fui in discrimine diebus his, adeo ut admodum dubitarem, an aliquando ad te litteras dare possem. Verum deo immortali visum est, ut adhuc superessem nescio fortassis ut alios maiores labores et ærumnas subirem. Ego, ne esses animo suspenso (arbitror enim te incredibili dolore ac molestia propter me affectum esse) decrevi atque statui tibi his litteris significare me divina potius quam humana ope convaluisse. Igitur, mi Andrea, sis bono animo, ut virum decet. Nam etsi nondum sum satis firma, propter adversam valetudi-

(15) sum] suæ *ex codice profert* C. valitudinem *S.*

nem, verumtamen, quod vehementer dubitavi, pæne a morte sum erepta. Scripsissem hac de re ad te maturius, nisi fuissem non parum defatigata sinistro brachio, credo ob
5 sanguinis evacuationem, quæ consilio physici facta est. Ubi enim fui compos mei, illico, ne esses de me sollicitus, ad te hæc pauca scribere volui, ex quibus nonnihil voluptatis capere posses. Quare si vis, ut sim
10 læto animo ac iucundo, da operam, ut intelligam te prorsus mœrorem omnem de me ac sollicitudinem abiecisse. Vale.

(11) omne C. (12) sollecitudinem C.

III.

Mai.ª Isotta Andreæ Contrario S. P. D.

O MAI.ª infelix! O crudelia et impia
fata! O mors atrocissima, cuius
quidem incredibili desiderio sin- 5
gulis horis conficior! Cur tam procul a nobis
abes, præsertim quando te magnopere cupio,
ne in tantis miseriis, in tantis ærumnis ac
calamitatibus vivam, si tamen hæc vita ap-
pellanda est? Vellem ego omnino perficere, 10
satis enim superque vixi; opto e vita exce-
dere. Vellem tandem his maximis gravissi-
misque curis finem imponere. Dii boni! quam
atra mihi dies et turbulentissima visa est, qua
puer tuus a me est profectus. Ego e vestigio 15
post eius discessum ob rem divinam faciun-
dam, ut essem una cum reliquo sacrarum

virginum cætu utque ne relinquerem eis de me obtrectandi locum, sacellum augustissimum religiosissimumque sum ingressa, sed continuo usque adeo invasit atque occupavit
5 me dolor vehementissimus, quod facere non potui, omissis omnibus ibidem ne me gementem ac illacrimantem intuerentur, quum meme statim solam mœstam ac lugubrem in abditum concameratumque locum recipe-
10 rem. Ubi, deum testor, neque cibo neque vino hausto tristior nullo pacto ab ea hora (abierat enim mane) usque ad extremum diei potui me ab acerbissimo luctu continere. Repetebam enim mecum memoria atque re-
15 cordatione congressus tuos, victus, iucundissimam consuetudinem, mores suavissimos, postremo doctissimos prudentissimosque sermones, quibus ego, ut non te fugit, tantopere delector. Quid dicam de summa gravitate
20 cum singulari comitate coniuncta atque omnium iudicio et sententia pura et incorrupta quadam Latinæ linguæ suavitate, quæ quidem facillime perspici ex scriptis tuis potest. Quid de sono vocis, de claritate atque
25 suavitate iucunditateque appellandarum lit-

terarum? Omitto atque prætereo vultum, incessum, gestus motusque corporis ita dignos, ita venustos, ut tamen ad forum non ad scenam instituti videantur. Quis, per deos oro, est adeo durus, adeo barbarus, adeo avulsus a Musis at- 5 que omnis prorsus humanitatis expers, qui si tum coram affuisset, non illico in me tam multis querelis multaque commiseratione permotus potuisset sese a lacrimis coercere. Verum enim vero tu, mi Andrea, qui sine controversia 10 et ingenio moderatus ac mitis, dehinc omnium liberalium disciplinarum studiis expolitus, admodum mihi immanis ex proximis ac velatis tuis, ut sic dixerim, litteris visus es, ne dicam superbus, cum id vulgare vitium sit. 15 Quippe cum ad me se contulit Kyriacus, equidem præ nimio luctu nedum quod possem epistolam tuam, quam mihi reddiderat heri vesperi, lectitare, sed vix hominem oculis poteram intueri. Sum sane ignara, quamob- 20 rem tu, vir ornatissimus atque humanissimus, qui semper cunctis in locis extitisti fautor mearum, si quæ sunt, laudum, tamquam a

(9) lacrymis *S.* (12. 13) *Post* expolitus *fort.* es *addendum est.*

me insigni iniuria lacessitus, sic asperrime in me tui amantissimam quodammodo per litteras invectus es. Ais enim in superioribus litteris cum sis mihi præter modum carus, dulcis atque 5 iucundus, me, Andrea, tanti facere quanti solet aquila muscas. Item me accusas, quod ipsa te aspernor animosi exemplo leonis, qui formicas, ut aiunt, contemptui habet. Sed cave, obsecro, ne vitium quod tibi est, ut 10 lepide inquit Plautus, mihi prædices; nam ut semper tu vir magni et excelsi animi propter dignitatem et amplitudinem tuam tui similium, id est fœminarum illustrium amore flagrasti, satis admirari nequeo, quidnam 15 causæ est, cur ad mulierculam longe illis in omnibus inferiorem, ita ardenter animum tuum adieceris, cum sim, ut sæpenumero dixi, valde dispar et parum te digna. Quid quod in extrema pagina superioris epistolæ 20 mihi exprobrare non dubitasti, Isottam non ex animo, non ex corde, sed ficta, sed simulata mente amasse. Dii facerent, ut vera diceres! Luo enim in dies magis ac magis pœnam incredibilis amoris in te mei, eo quod 25 quemadmodum perspicuum est, te unice

amando, observando admirandoque eo redacta sum, ut lubens vitam, quæ mihi profecto est iniucunda, cum morte commutarem. Nam exactis temporibus, mi Andrea, tantum capiebam voluptatis, quantum ad te amanter 5 familiariterque perscribere solebam ingentes æstus atque labores meos, quos soleo semper pro te sufferre et perpeti. Nunc vero si quid ad te scribo, non nisi cum maximo id animi angore facio, eoque magis, quod liqui- 10 dius videor videre te ex meis litteris parum lætari. Immo quanto diligentius meliusque facio, tanto minus tibi gratum esse perspicio. Neque mihi ulla in re fidem habes; hinc est, quod maximo contemptu, meæ litteræ cum 15 primum tibi redduntur, vix lectis eas in terram deiicis. Verumtamen ego more generosæ feræ, quæ quidem ad latratus catulorum non solet ab instituto itinere deflectere, constantissime regieque erga te eo animo, ea 20 mente ero atque fide, qua superiori tempore fui. Angor animo ultra quam credi potest, quod nihil mihi neque litteris neque nun-

(6) prescr. *S.* (15) comptemptu *S.*

tiis significasti, utrum Græcos codices ac
vasculum argenteum, quod proxime ad te
misi, habueris. Si me amas, rescribas, oro,
cum primum decreveris, ut ad te mittam su-
5 datoria mira arte elaborata, quæ ut pleraque
alia tua sub optima custodia habeo. Aveo
enim ex te scire, an Kyriaco crucem auream
gemmis ac margaritis ornatam reddideris.
Neque velim tibi persuadeas me magis ad-
10 ductam utilitate aut emolumento aliquo quam
probitate honestateque id est fama admira-
bili incredibilium virtutum tuarum ad te unum
animum flexisse. Neque enim arbitror tibi
memoria excessisse, de munusculis illis quo-
15 tiens paucis abhinc diebus coram es locutus,
me confestim omnia repudiasse, cum tu
maxime instares. Omitto, quod ultro signum
illud pulcherrimum atque antiquissimum ex
conflato ære te mihi dono daturum asseverasti
20 et cum ob hanc causam quam sæpissime ad
me litteras dederis, nunquam ut nosti quic-
quam rescripsi. Quamobrem indignabunda
libere atque ingenue dicam: Nolo abs te id

(5) plæraque *S.* (18. 19) excolato *CS.*

muneris neque signum aenum neque rem ullam. Nolo profecto abs te quicquam, ne me magis arbitreris quæ tua sunt, quod deus avertat, quam te dilexisse. Equidem incensa sum amore tui summa, ut sæpe dixi, expectatione maximarum virtutum tuarum, præsertim cum in te plus rei quam ostentationis esse cognorim. Quocirca si quid forte paulo severius in his litteris perscripsi, ignoscas, oro, dolori meo; sum enim haud quietiori animo. Taceo, quod corpore etiam iam per aliquot dies male valeo, nam angor nonnullis tuis litteris, quas acerbe adversus me scripsisti, ac si in te gravissime deliquissem, cum expressius sciam teste conscientia mea prorsus me omni culpa vacare. Cæterum, quoniam licent tibi omnia licenter et impune, pro nostro veteri verissimoque amore apud me, quanto familiarius confidentiusque ad me scribes tanto ardentius promptiusque in cunctis, ut consuevi, tibi uni ero morigera. Vale. Ex Suburbano, pridie Idus Novembris.

(7) **obstentationis** *S.*

IV.

Mai.ª Isotta Andreæ salutem plurimam dicit.

TACERE nequeo, quin tecum in præsentia tam acerbissimis mordacissimisque litteris tuis ad me scriptis
per litteras conquerar. Neque profecto ignoro te, cuius semper fuit acutum, prudens sincerumque iudicium, illas omnino indignas fuisse. Nam quum haud angusti exilisque animi sim, non apud me te invito et reluctante retinebam id vasculum operis antiqui, quod mihi semper magnifica atque præclara cupienti carius esset quam amor tuus, quem iure optimo et quidem orbis terræ iudicio pluris facio quam cunctas, ut sic dicam,

(3) neque C. (7) prudensque C. (9) quom C.

divitias Crœsi regis. Neque enim quicquam est te mihi carius neque iucundius. Neque adduci tamen possum, quare existimem te uberrimis artibus ornatum teque circumspectissimum et prudentissimum virum aliud 5 de me suspicari. Quippe haud in re minutissima incredibilis vis nostri amoris atque benevolentiæ viget. Equidem quoniam dono iampridem abs te habueram, pro re non vulgari neque parvi momenti, sed pro præcipua 10 atque exquisitiori quadam gemma aut margarita ob memoriam sempiternam nominis tui, præsertim quando plurimum delectabar, non pondere sed opere domi meæ esse cupiebam. Neque, ut arbitror, te præterit apud 15 me semper hæc omnia fuisse potiora, decus scilicet, honestatem, dignitatem, virtutem, animi magnitudinem, urbanitatem, ingenium optimis excultum disciplinis, morum elegantiam, quæ sine ulla dubitatione omnia ita 20 cumulate et egregie in te uno longe omnium ornatissimo atque elegantissimo cognovi et vidi, ut incendar quotidie magis ac magis

(1) Cresi *CS.* (19) exculptum *S.* (23) cotidie *C.*

eximio amore tui. Itaque, mi Andrea, quoniam
adeo facile nos iniuria affecisti proximis
tuis sic aculeatis litteris, quas ita immaniter,
ita aspere, ita contumeliose præter consue-
5 tudinem tuam ad me scripsisti, id mihi, ut
verum fatear, admodum durum visum est.
Quamobrem in maximo nunc versor luctu ac
squalore, quamquam iocando vis me a
luctu ac lacrimis ad hilaritatem risumque
10 traducere, dum me claram, venustam deco-
ramque puellam appellas. Sane aperte inge-
nueque confitebor, non sum eius generis ne-
que eo obscuro loco nata neque educata, hoc
est ex infima fortuna, neque ita ignara recti
15 pravique neque ita tenuis, ita agrestis, ita
horrida atque inculta neque ab ineunte pue-
ritia his perditissimis moribus ab ipsis claris
ingenuisque parentibus instituta, ut noscam
ac velim quempiam, ne dicam te virum sapien-
20 tissimum mihique amicitia coniunctissimum,
astute ac callide deludere, quin immo bene-
volentia non vulgari mirifica animi integritate

(1) amori C. (2) adeo] haud C. (3) quas] propterea quod C. (5) id] quod C. (7. 8) atque squallore C. (9) lacrymis S. ilaritatem C. (13) eo *om.* C. (16) orrida C. (21) imo C.

summaque fide atque observantia tecum certo neque porro abs te patior ullo modo in amore superari. Quapropter si secus, quod haud facile mihi possum persuadere, de me arbitraris, supra quam dici potest 5 ægre molesteque fero. De forma autem illa tam insigni atque præclara, qua uti soles in obsignandis epistolis, ignoro penitus quid dicam; cum ibi sane mira arte λατιρικῶς καὶ ελληρικως incisæ sint A. K. utrum C. littera 10 notet atque significet Cornelia, ut scribis, sive Contrarius, profecto sum nescia. Verumtamen hoc unum certo scio, nullam posse mihi graviorem abs te acerbioremque iniuriam afferri quam mihi probro aut ignomi- 15 niæ obiicere te alteram splendidius magnificentiusque in deliciis habere, me vero tamquam spretam et pulsam quodammodo tibi esse ludibrio. Unde scito fieri posse, ut hæc tua illustris, quam merito unice diligis, 20 quam magnopere laudas, quæ in omni genere

(8) obligandis C. (9. 10) *lege* λατινικῶς καὶ ἑλληνικῶς; *pro Græcis puncta extant in* C, *et* «sic puncta in codice» *adnot. in marg.* (10) sunt C. (11) ac C. ut] ubi C. (12) profectum C.

laudis excellit, postremo quæ cæteris omnibus præstat, sit Isotta tua superior genere, forma, dignitate, eloquentia atque venustate, morum elegantia, modestia, acumine atque 5 cunctis virtutibus ornatior atque cultior, verum enim vero nunquam acrius, vehementius ardentiusque quam ego tibi deditissima te amabit, te colet atque observabit neque cunctis in rebus tibi maiori taciturnitate, 10 patientia, fidelitate atque constantia obsequetur, quippe quoniam semper pro mea virili favi summo ingenio tuo, quod sane, quemadmodum noster inquit Cicero, est hominis decus. Studia præterea ac mores tuos 15 suavissimos tantum dilexi quantum intelligere potuisti; nisi vere et ex corde tibi uni afficeret, ut facio pro te, mi Andrea, non semper essem sollicita. Te enim summum ac singularem virum, cuius quidem desiderio con- 20 ficior, die noctuque tanti facio teque admirabili fama incredibilium virtutum in tanto honore atque existimatione habeo, perinde

(3) eloquentia atque *om. S.* (4) modestia acumine *om. S, post* acumine *C iterum* eloquentia *addit.* (6) acriter *C.* (16. 17) afficerit *C.*

ac si deus quidam esses e cælo lapsus hæcque cura haud dubie erit, ut est, infixa animo meo sempiterna. Denique si qua in re fortassis erga te nolens deliqui atque peccavi, supplex a te veniam peto et imploro, præ- 5 sertim quando tu mihi tantæ curæ es, ut horis singulis mœsta ac lugubris tibi tuæque saluti timeam, et ita timeam, ut plerumque in adversam valetudinem incidam sit necesse. Venit hodie, postquam iam multa dies erat, 10 puer tuus petens tuo nomine tunicam; ego confestim, ut omnem prorsus suspicionem tollerem, arcessita Kandida, quæ est grandior natu (loquor de illa, quæ reliquis virginibus præest) vestem lubens puero tradidi. 15 Cæterum is, uti rudis atque penitus harum rerum expers, inepte et stulte, ne dicam parum considerate, non dubitavit dicere sibi abs te iniunctum atque mandatum, ut si forte, uti contingit, amita abesset, continuo eius 20 neptis accersiretur. Nam illis, quæ tum aderant, extemplo oborta est suspicio me de iis

(1. 2) **lapsus. Neque cura** C. (6) **es**] **esse** C. (9) **incidere** C. (16) **ubi** C. (20) **ut** C. (21) **accessiretur** *S.* (22) **me**] **neme** C. **his** C, **hiis** *S ante corr.*

omnibus et singulis quæ domi fiunt te certiorem meis litteris fecisse. Sed hoc quid ad me? Ubi is abiit, haud permagno temporis intervallo, binæ eodem exemplo litteræ tuæ
5 mihi redditæ sunt. Vasculum, scilicet Phidiæ opus aut Praxitelis, Κυριακῶ, ut ad te afferret, dedi una cum libris duobus, quorum alterum arbitror esse Ομήρȣ Ιλιαδα vel Οδυσσεια. Cupio ex tuis litteris cognoscere, utrum hæc
10 omnia habueris. Postremo ne dedignare, oro, nisi mihi perosus es, nisi me pro despectissima habes, has meas benigne et patienter, ut est officium viri boni, legere; et si forte, quemadmodum interdum consuesti, per iram
15 in terram deieceris, sis memor illico humo tollere. Postremo, si lubet, sine mora igni comburas. Et si forte tibi sunt parum gratæ atque iniucundæ, rescribas; omnia perfecto æquo animo feram. Ex Suburbano, XIII Kal.
20 Decembris.

(1) ex s. C. (3) Uti C. (6) *Græca vox deest in* C *in spatio cum nota:* «sic puncta in codice». (6. 7) afferet C. (8. 9) arbitror esse . . . Iliada vel . . . Cupio C. (14) per iram] pertram C. (17) combures C. (18) rescribas] res. hec C. (19) fetam *codex secundum* S.

V.

Mai.[a] Isotta Andreæ Salutem P. D.

SCRIBEBAM prima luce ad te secretiora quædam librariis vix committenda, quum ad me accessit dis- 5
cessurus quam primum via longa æstuosa et pulverulenta Kyriacus, qui ex te tantum mihi salutem nuntiavit. Ego vero ne is ad te meis litteris vacuus rediret, statui atque decrevi illico cognito eius adventu, quo nihil fuit 10
mihi exoptatius, nihil carius, quanquam scriptitando volebam evagari longius, epistolæ finem imponere, cogitans certe esse omnino properandum; breviloquentem igitur me temporis angustia fecit. Hinc est, anime mi, quod 15

(6) qui C.

in hoc tempus mihi differre visum est, de his
omnibus te commonefacere, quæ, ut potui,
summatim nocte intempesta ac breviter se-
cretiusque, ne consilia nostra aperirentur, ad
5 te, ut iuves consilio et auctoritate tua, scri-
benda putavi. Primum igitur rogo pro tua
mansuetudine atque humanitate, suscipias hoc
negotium, hoc est quam celerrime velis vel
per te aut per interprètem scire ab accolis
10 eius loci ac cognoscere, quinam sint huius
urbis cives, ad quos attinet ius patronatus
monasterii Sancti Iohannis Evangelistæ extra
portam civitatis, quæ ut arbitror tendit ad
oram maritimam, id est Pisas versus; aveo
15 enim abs te fieri certior, quonam modo hæc
se res habeat et quo in loco sita sit. Itaque
propter mutuam necessitudinem meamque
in te observantiam quamprimum scribito, ut
instituisti, ubi erit cui ad nos recte tutoque
20 litteras des, ut habeam rationem et otii simul
et negotii tui, neque te huius laboris tædeat.
Non loquor de monasterio Rhodiensium
Fratrum, quod est sane, ne sis nescius, longe

(2) quam C. (3) sumatim S. (7) suspicias C. (14) aveo] amo C. (19) istituisti C. (20) uti h. C. (22) Thodinensium C.

maius, immo amplissimum, quemadmodum a plerisque certius mihi et dictum et scriptum est. Cæterum in hoc loco, de quo in præsentia scribo, non arbitror residere, ni fallor, plures quam duas solum 5 vel tres ad summum sacras virgines. Non ab re hæc ad te his litteris perscribere censui. Quapropter pro certo hoc tibi persuadeas, me nunquam quieturam neque ulla alia in re me magis obnixe laboraturam non modo 10 magna contentione, sed ingenti dimicatione, quam quo pacto quibusve artibus possim tibi uni morem gerere. Quippe quoniam opera tua vivo (es enim mihi præsidium et ornamentum ad victum atque cultum) concitatiori 15 affectu quasi in Olimpiaco certamine athleta non ignobilis, in dies magis ac magis desiderio tui animus meus accenditur, adeo ut vita potius quam te carere malim. In hoc, crede mihi, omnia mea studia, omnem ope- 20 ram, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem fixi et locavi. Neque magnopere curarem, ut studio tuo obsequi

(1) quod ad modum C. (7) prescribere C. (10) omnixe C. (15) concitationi C.

possem, nedum mittere hanc domum atque hos domesticos parietes, ubi et genita et a primis cunabulis educata sum, sed ferarum ritu im summa penuria, fame, inopia et cari-
5 tate rerum omnium omissis egregiis urbibus atque opulentissimis oppidis, desertas incolerem insulas aut habitarem in opacis speluncis aut in cavis arboribus aut in vasta solitudine aut denique pro te, cuius sum perstu-
10 diosa, salutem vitamque, si opus esset, exponerem. Neque magni æstimarem ob magnitudinem et vim amoris in te mei, quod ab ineunte pueritia orta consulari genere semper in delitiis vixerim creverimque, sed ut satis,
15 mi Andrea, animo tuo facerem, haud dubie præsto sum omissa inerti vanaque desidia omnia incommoda omniaque supplicia miserrima atque crudelissima constantissime viriliterque sufferre et perpeti. Quæ enim,
20 dii immortales! lætitia, quæ iucunditas nobis esse potest sine te? Moriar, cum mihi de te cura non est. Ita me dii ament, mi Andrea, uti hæc ex animi sententia loquor, præsertim

(5) gregis C. (11) magis existimarem C. (17) incomoda CS. (19) et aperperti C.

quando, ut non te fugit, haud est amantis officium aliud clausum in pectore aliud in lingua promptum habere, ut gravissime et elegantissime inquit Crispus Salustius. Quippe nihil, quantum existimo, est homini deformius praecipue apud te, ne caeteras laudes tuas attingam, consensu bonorum omnium memorem, gratum et bonum virum, quo quidem nemo iure meritoque est mihi carior atque iucundior. Qua in opinione, voluntate sententiaque semper ero neque me auferent aliorum prava et perniciosa consilia nec ero more vulgi animo molli ac mutabili, sed firmo, certo stabilique, etiam si mea res familiaris a meis ingrato malevoloque animo frangeretur, dissiparetur, diriperetur, incenderetur, aut per contumeliam atque ignominiam me pro derelicta ac neglecta haberes. Quod tamen, ut verum fatear, nunquam mihi in animum inducam ut credam, quamquam mihi interdum acriter superbeque verbis subirasci videris. Quocirca si abesses in ultimis nationibus, si in extremis orbis oris, profecto nunquam

(9) charior C. (15) ab C. malivoloque C.

suavissimæ fructus tuæ obliviscar consuetudinis, nunquam ero abs te alienior, nunquam te et mente et animo absentem audire, videre atque amare desinam. Neque aliquando quispiam, 5 licet disertus, mihi posset rebus amplissimis persuadere quam tu, ut nunc pauca de tuis laudibus dicam, tu vir omnium optimus, gratissimus, doctissimus atque integerrimus, barbarorum ritu quicquam quod non esset dig-10 num præstantia tua, faceres. Nam qui est, ut tu, tam ingenuus, sive ita præclare et generose a maioribus institutus atque optimis moribus præditus insignique modestia ac venustate, fieri nullo modo potest, 15 repugnante scilicet eximia illustrique natura, ut is inurbanitate quasi agrestis quidam aut ignobilis uti possit. Et, ut ad rem redeam (quippe si fieri posset) postquam eo in cœnobio sunt ita numero perpaucæ, tenues, hu-20 miles atque depressæ, ubi compertum haberem, ad quos potissimum spectat res ista, sperarem diis prospere faventibus non invitis atque repugnantibus iisdem patronis meaque

(1) suavissime C. (6) qui C, quod S. tu, ut nunc] tant. Nunc C. (9) quicquam] quia C. (20) uti C. (21) quod C.

diligentia, opera atque industria fore, ut monasterium illud vetustate nimia prostratum et prope dirutum brevi instauraretur. Omitto atque prætereo, quod F. familiaris tuus ratione magistratus amplissimi, quem nuper ex 5
S. C. iniit, ut abs te accepi, fortassis te auctore et duce, plurimum nobis ad vota exequenda conducere posset. Neque enim etiam in magno ponerem discrimine, si forte aliam institutionem me subire oporteret, neque 10
quod id cœnobium esset obscurum, angustum, ignobile ac fortassis parum me dignum, dummodo possem efficere, ut clarius ipse expressiusque cognosceres mirificam erga te animi mei integritatem, fidem atque con- 15
stantiam. Accedit quod haud difficile esset ad rem istam amicam meam L. impellere, ea tamen lege, uti ipsa tanquam mulier primaria ac grandior natu digne ut moderatrix gubernatrixque reliquis sacris virginibus præesset. 20
Quamobrem te vehementer etiam atque etiam rogo et hortor, si vis ut ipsa aliquando non modo pollicitationibus, sed re ipsa declarem

(18) ut C.

summum studium, egregiam fidem atque amorem præcipuum in te meum, sciscitare diligentissime de his omnibus, demum ad nos accuratissime scribas. Quippe si minus hoc
5 ex sententia assequi potero, alia continuo nobis ratio erit ineunda. Prorsus decrevi, quantum in me erit, ingenti studio navare operam, ne abs te ego ullo modo destituar, aut quod hac nostra in urbe penes me sis
10 mansurus (quod præter modum cupio) aut hinc alio migraturus. De incommodis, difficultatibus atque magnis iacturis tuis, quibus, ut scribis, es tantopere oppressus, tristi silentio ac tacita mœstitia, quemadmodum de-
15 beo, magnopere doleo et angor, propterea quod ipse insano mei amore captus atque incensus toto hoc tempore in ocio non sine magno dispendio ne dicam summo dedecore tam procul ab urbe abfuisti. Verum enim
20 vero hoc unum certo scito, numquam ulla causa meis litteris de me tibi spem ademp- turam. De profectione autem tua ad urbem sive expeditione,quam anxie festinas,quotiens

(12) magnis *om.* C. (23) quoties ut C.

mihi venit in mentem, præ nimio animi mœrore et corporis molestia omnis penitus expers consilii pæne emori videor. Verumtamen, si qua exigua de te mihi spes oblata ostenderetur, id est si celeriter, uti semper 5 prædicasti, te ad me rediturum putarem, ferrem discessum tuum non iniquo animo, sed patienter et benigne. Cæterum summopere vereor, ne omni spe sublata reditus tui tibi contingeret quemadmodum volanti avicu- 10 læ, quæ quamquam tractabilis ac mansueta longa exercitatione et usu ac consuetudine esse solet, tamen ubi libere vagando huc atque illuc per aera volat, vel raro vel numquam, ut probe nosti, descendens 15 in terram ad ima revertitur. Scis enim amorem, uti ingeniosus inquit poeta, esse rem plenam solliciti timoris. Neque credas hæc et huiusmodi me ad te simulata mente scribere, sed ita sincere atque ex corde dico, 20 perinde ac hodierna die genibus flexis de more sacro antistiti reatus meos atque delicta confitendo aperui. Nullo porro maiori cri-

(1) pro C. (3) errori C. (11) atque C. (13) libera C. (21) proinde hac C.

mine gravor in omni vita, si tamen hoc crimen appellandum putas, quam isto uno; hoc est haud dubie quod mihi plurimum molestiæ affert, quod me valde sollicitat, quod me 5 semper affligit, quod me iugiter cruciat atque urgendo funditus opprimit. Ego e vestigio ubi intellexi ab amica mea te diu tractasse id malum punicum pulchrum visui atque cortice rubicundum tuis palmis, eo per vim 10 quodammodo ab ea abrepto usque in hunc diem quam sæpissime olfaciendo, suaviando aut pectore meo fovi aut manu mea operando, excubando, dormiendo vigilandoque nunquam posui. Interea quoniam exprobrando 15 inquis me primum te ad amandum meis litteris meisque verbis impulisse, nunc id neque affirmare neque refellere in animo est. Nam omnem hanc disputationem in adventum tuum differo; sed profecto, dum arrectis au- 20 ribus hæc audio, parum læta fronte, quin potius rubore maximo, verecundia deiectis in terram oculis ac demisso vultu afflicta et

(2) quod isto C. (8) pulcrum C. visu ? (12) aut] aut sinu *et in marg.:* num sub C. (14) exprobando CS. (22) dimisso CS. vulto C.

quasi exanimata disrumpor, quamquam certe non ita se res habet. Nam etsi prior ipsa et nominis et patriæ ignara ad te liberius audaciusque ausa sum bis ad te mittere litteras, non tamen, ut reor, ea de causa maxime mihi 5 crimini dare debes aut temeritatis arguere reprehendens consilium meum neque quicquam sinistrum de me tibi arbitrari fas est, sed accipere in bonam partem, ea scilicet ratione, quod visum est mihi nec in te esse, 10 ubi conspexi animadvertique et vultum tranquillum serenumque et aspectum tuum summa benevolentia summaque veneratione dignissimum, postremo ea prudentia, ea facundia, ea modestia atque ea, ut sic dicam, animi 15 mansuetudine cupientem pleraque a nobis tamquam a peritis lanificii tibi homini lectissimo per epistolam significare me paratissimam atque promptissimam esse in cunctis honestissimis studiis tuis obsequi præsertim, 20 ut prædixi, habitu formaque animadversa. Quamobrem si stolide et minus prudenter uti inanis muliercula lapsa sum, si erravi, si

(1) dirumpor C, *fort. recte.* (10) nec interesse C. (14) et fac. C. (17. 18) lætissimo *S.* (18. 19) pacatissimam C.

peccavi, fortassis tu, quum sis vir excellentissimus summaque gravitate et religione prædítus, quo nemo mea sententia fortior atque prudentior in dandis aliis consiliis, debuisses
5 me quam severissime mordacissimeque, ut ita dicam, obiurgare atque stultam audaciam meam coercere, non labi temere et muliebriter cum non facili culpa atque dedecore eodem scelere. Taceo quod sæpenumero et
10 coram et per litteras affirmasti te aliquot ante mensibus, quum hac Phesulas iter faceres, prospectans hos parietes atque domicilium etsi neque fama neque de facie mea ante noras, fato tamen quodam te mirabili
15 mei amore perculsum. Quare, si ita est, quid aliud, per deos oro, iudicandum est, nisi quod ego Isotta abs te strenue et impigre provocata ardentius amare cœperim? Si autem hoc abs te dolo malo et fallacia emen-
20 tiendo fictum est, quod haud de te credendum censeo, tu, mi Andrea, cui severitas, ut de Catone Uticensi legitur, dignitatem addidit, non ego ipsa profecto mulier mollis, humilis,

(1) quom C. (3) f. ac C. (5) quam] quoque S.
(13) mea] me? (18) audentius C.

demissa, enervata et quodammodo servilis sum accusanda. Denique per epistolam ais me nihil prorsus ex te velle neque quicquam per insolentiam quodammodo magnificare rerum tuarum. In quo plane non tibi assentior, quanquam gravius questa sum atque iracundia quadam ad te proxime scripsi eo quia, ut aiebas, nescis quod portentum incohatum magis a natura quam absolutum, is est, ut suspicor, Antrodus nequam ac procax, ingenio sordido ac feroci, quem pro suis demeritis odi, odero, immo utinam ulcisci possem — sed illum puto ulciscentur fœdissimi ac pessimi mores sui — falso de me vulgarat me non honestate, sed avaritia et cupiditate adductam, hoc est non te sed quæ tua sunt ferventius amasse, quod supra modum ægre molesteque tuli, præsertim quando, testor cœleste numen, ob egregias solum virtutes tuas, singulare ingenium, summam probitatem atque constantiam, quæ quidem omnia pulcherrime atque præclare in oculis omnium sita sunt, necessario coacta fueram mirifice

(1) dimissa *C.* (12) odere *C.*

te diligere et amare, non argento, non auro, non gemmis, non niveo ebore tanquam alieni appetens atque avida harum rerum, eoque magis, quoniam quanto potiora sunt bona
5 mentis corporis bonis, tanto præclarior semper apud me paupertatis ac parsimoniæ honos fuit posthabita avaritia ac luxuria. Quocirca ni haberes patientiam Agrippæ et Mæcenatis taciturnitatem, quemadmodum vir
10 ornatissimus Suetonius Tranquillus in vita Cæsaris Augusti disertissime scriptum reliquit, dehinc ni esses tot et tantis præclaris ornamentis excultus, etiam si mihi magnifice dono obtulisses omnem rem numariam, om-
15 nem gazam, pretiosam supellectilem, vasa Corynthia, omnes thesauros ac regum potentissimorum facultates, opes atque divitias, nunquam quievissem tot et tantis iis rebus lacessita tibi in amore respondere. Sed ne
20 suspicarere me tua contemptui habere atque parvi facere, rescripsi optimum factu rata,

(6) paupertati C. (6. 7) honore C. (7) et C. (8. 9) Mecenatis C, Mecœnatis S. (11) dissertissime CS. (15. 16) supell.—regum *om.* C. (17) et C. (20) contemptu S. (21) facere *om.* C.

ut ad me id signum aeneum pulcherrimum atque antiquissimum mitteres. παρθεριά ubi enixa est puerperium paucis post diebus ad me venit et renuntiavit mihi, te ira et furore vehementissimo irritatum ac 5 graviter commotum reiecisse meam epistolam dixisseque quasi pœnitentia ductum confestim, volo etiam hanc; nam duplicabo numerum epistolarum illarum; potero enim quum opus fuerit litteras familiares easdem 10 prodere in lucem. Dici non potest, quam acerbissime tuli, licet adduci non possim, ut credam te his asperrimis verbis et te et me omnino indignis præsertim a me nulla lacessitum iniuria et contumelia usum fuisse. Po- 15 stremo si qua in re adversus te deliqui nescia, supplex multis cum lacrimis veniam peto. Tu vero si me amas, si me dignam maximis tuis beneficiis iudicas, ne meis miseriis, ærumnis ac calamitatibus desis, quæso noli in fu- 20 turum ad me non scribere tuas epistolas,

(1) id *om.* C. (2) mittens C. *Græca om.* C, *secundum quem* «puncta in codice». (7) dixisseve C. (10) quom C. eiusdem C. (11) prodire *S.* quantum *S.* (12) possum C. (17) lacrymis *S.* (21) non *omm.* *CS.*

quæ me magnopere delectant quasque libentissime lego atque laudibus in cœlum fero, mihi non gratas iucundasque fuisse, præsertim hoc gravissimo atque difficillimo tempore 5 hoc unum tantum mihi miseræ solatium ac remedium quasi tabula post naufragium in tot rebus afflictis relictum est. Vale et quoniam propediem appropinquare audiebam tuum adventum, sine mora, si sum tibi caris- 10 sima, quemadmodum et esse et fore confido, matura ad nos venire. Fratrem tuum velim salvere iubeas. Ex Suburbano, Kal. Novembris Anno Christi Optimi Maximi M. CCCCLXII.

(2) cœlo *C.* (3) gratias *S.* fuisse] quando *S.* (9. 10) charissima *C.*

INDEX NOMINUM PROPRIORUM.

TABULA LIBRI.

VOLUMEN I.

ISOTÆ NOGAROLÆ OPERA.

VOLUMEN II.

Isotæ Nogarolæ Codex Epistolaris. Pars II.

ANGELÆ NOGAROLÆ OPERA.

ZENEVERÆ NOGAROLÆ EPISTOLÆ.

APPENDIX.

IMPRESSUM BUDAPESTINI

TYPIS SOCIETATIS FRANKLINIANÆ

A. D. MDCCCLXXXVI

